US 786526

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
IN TRES PARTES,
AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,
QUIBUS

VETUS ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA ET MUTATIONUM CAUSÆ ENARRANTUR

A DOMINICO CAVALLARIO

JURIS CANONICI ET CIVILIS PROFESSORE CONSCRIPTÆ.

BIBLIOTECA DE LA FACULTAD DE DERECHO

TOMUS QUINTUS.

M.L.C.A.D. 31.095

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI EX TYPOGRAPHIA REGIA.

MDCCC.

Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, *Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.*

Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.
Osius Cordubensis ad Constantinum M. apud Athanasium epist ad Solitar.

AUCTOR.

§. I. Prodit tandem in publicum tertia & ultima pars Institutionum canonicarum quibus stylo fusiore veterem & novam Ecclesiæ disciplinam & mutationum causas enarrandas suscepi. Ita exciti rumores evanescunt omnes, quasi de Sacerdotii & Imperii finibus scripturas, vadimonium promissum consulto deseruerim, ne in alterutras partes deflectens, tanquam non bonus arbiter finium regundorum accusarer. Sed qui ita rationes subducebant, illud fortasse non animadverterunt, ne etiam in duabus prioribus partibus jura Sacerdotii & Imperii sæpe proposuisse, ac inde facile erat intelligere, me in tertia parte ab instituto non recessurum. Præterea ubi res sine odio & amore, quemadmodum sunt, describuntur, nullum unquam crimen jure objici posse videtur, præsertim si nulla verba inclementiora, quæ indignationem parere solent, adhibeantur.

§. II. Num vero ex legibus, quas initio mihi dixi, universum opus perfecerim, aliorum debet esse judicium: nam si ipse in hac redicere sententiam deberem, dubio procul universum opus periclitaretur. Et profecto utut facile fortasse fuerit, antiquos Canones & eorum rationes in medium afferre; tamen ubi ad mutationem disciplinæ ventum est, ut plurimum temporum caligine vix sapientioribus datur, veras novorum Canonum causas exculpere. In his angustiis sæpe ipsa mediæ ætatis monumenta consului, unde aliquando datum fuit veras novi juris rationes videre: sæpe virorum doctissimorum lucubrationes evolvi, ut tanquam faces in tenebris ambu-

bulanti prælucerent. Qua adhibita diligentia, si nec scopum attingerim, id ipsius rei difficultati, aut (quod verius putaverim) ingenii mei tenuitati tribuendum est.

§. III. Piaculum vero duxi in hac tertia parte ordinem judiciarium, quo forum ecclesiasticum judicia sive civilia, sive criminalia instruere consuevit, omittere. Quamvis enim decretales, quæ ordinem judiciorum exhibent, à purioribus disciplinæ regulis multum distent, & fortasse augusto Canonis nomine vix dignæ sint; tamen quidquid ejus rei est, non debet à tironibus ignorari, præsertim quod in hac re, si quid ego video, Romani Pontifices de humano genere bene meriti sunt; tantum abest, ut inclementer possint accusari, quasi judiciorum ordinem implexum fecerint & tricis forensibus oppleverint. Nimirum mediis sæculis ex gentium moribus lites etiam civiles per vulgares probationes, præsertim vero per duellum ante judicem indictum, finiebantur: interim vero Romani Pontifices, qui ex legibus Romanis & earum glossis sapiebant, novum lites instruendi ordinem à ratione non alienum in forum ecclesiasticum invehere curarunt: quo sensim ab judicibus laicis recepto, factum est, ut judicia per vulgares probationes & judiciaria duella cessarent. Illud tamen prædictum volo, non semper mihi licuisse decretales de rebus forensibus diligentius expendere, & cum Romanis legibus, aut earum glossis, unde ferme desumptæ sunt, conferre, & differentias indicare: nec sane necesse erat in opere, quo ecclesiastica disciplina enarrari debebat, tandiu in rebus forensibus immorari.

§. IV. Multas novas observationes in hac tertia parte, æque ac reliquis duabus feceram, videor proposuisse, quæ si viris sapientibus adriserint, est cur gaudeam; sin secus, saltem velim ne crimini vertant, quasi supra in-

genii vires sapere satagens, fractus ceciderim. Et quidem clarius explicui sententias & dicta Imperatorum, quibus in rebus religionis & in criminibus ecclesiasticis cognitionem Episcopis tribuere videntur, quando ista, utpote de rebus spiritualibus, sacerdotio adhæret (*a*). Nova quoque observatio est, quæ fori privilegium etiam in criminibus civilibus atrocioribus eo tempore concessum aperit, quo per populorum leges & mores crimina solis multis solebant vindicari, & judicia sanguinis ferme nulla erant (*b*); atque ideo nec reipublicæ, nec Ecclesiæ mansuetudini erat adversum, Clericos in omnibus criminibus foro ecclesiastico addicere. Aliquid item novi addidi origini Synodorum diœcesanarum (*c*); & de necessitate assensus civilis potestatis in celebrandis Conciliis agens, oppositioni illi primus videor occurrisse, quæ Concilia Apostolorum sine ullo civilis potestatis assensu celebrata repræsentat (*d*). Nova quoque interpretatione videor illustrasse Canones Africanos, qui ab judicibus ex dispositione Canonum electis seu arbitris necessariis vetant appellari, quo casu illi electi sint ad cognoscendam à decretis Synodi provincialis appellationem (*e*). Conjeci quoque verisimiliter, qui numerus testium in damnandis Clericis prodigiosus evaserit; quando secundum veteres Canones etiam duo aut tres testes ad damnandos Episcopos sufficerent (*f*). Et ut alia, quæ nunc non recordor, mittam, novis observationibus illustravi vetera monumenta, quæ exilii pœnam ab Episcopis ir-

(*a*) Cap. 4. §. 6.
(*b*) Eod. cap. 4. §. 10.
(*c*) Cap. 12. §. 4.
(*d*) Cap. 14. §. 2.
(*e*) Cap. 18. §. 15.
(*f*) Cap. 27. §. 10.

irrogatam innuere videntur (*a*). Fieri quidem potest, ut in his novis observationibus ab aliis præventus fuerim; at ego mihi conscius sum, aliorum scrinia non expilasse. Et si deinceps mihi innotescet, viros doctos longe ante similia dixisse, non mihi inventionem tribuam; sed tantum gaudeam, me paria viris doctis observasse.

§. V. Quod spectat rerum indicem generalem, datam fidem nunc liberare vetor, idque ut citius opus prodeat, & illis satisfaciam, qui importunius quæruntur, me diutius quam promiseram, hujus tertiæ partis editionem distulisse. Ita potiore parte opus mancum in publicum emittitur, sunt enim in libris indices rerum, quod in hominibus oculi: at defectus iste suppleri potest ex summariis, quæ cuique paragrapho præponuntur.

§. VI. Absolutis jam canonicis institutionibus opportunum videretur, ut me ad ea studia revocarem, quæ semper retenta animo, sæpe intermissa temporibus, quid domibus nostris pravi rective geratur, aperiunt. Scilicet ex quo primum tempore animum ad jurisprudentiam adjeci, non solum immania Romani juris volumina; verum etiam (quod erat necessarium) leges patrias evolvere occœpi. Quo in studio præsertim evolvens regni Siciliæ constitutiones, summa delectatione affectus sum; eas enim ut sapientia legibus Romanis non cedere, ita longe distare animadverti à cæteris legibus populorum, qui nova regna ex ruinis Romani imperii in Occidente fundarunt. Interim indolui, earum multas à nostris interpretibus male habitas, in primis vero neminem ex eruditis fuisse, qui pro merito eas commentaretur. Ergo vacuam veluti provinciam occupare constitui, (nostrorum glossas & commentaria nihil moratus sum) eamque, qua li-

(*a*) Cap. 44. §. 22.

liceret, ex patriis monumentis, Romanis legibus & mediæ ætatis canonica jurisprudentia illustrare. Distractus tamen aliis curis non potui semel occupatum opus assiduis studiis expolire; sed prout se dedit occasio, in multas constitutiones scripsi dissertationes, quas informes in pluteis jacere jussi. Nunc tempus esset toties intermissum opus animo nunquam deserendi suscipere, & continua cura, quæ informia jacent, expolire, & quæ desunt, addere. Et faciam quidem, at prout res meæ sunt, opus etiam lente procedet; publico enim & privato docendi munere fractus & tantum non accisus, ferme uno aut altero per hebdomadam die operi suscepto licet incumbere. Utinam vero vel ex publico docendi munere, vel ex rebus meis alimenta viro studiis addicto congrua suppeterent; nam tum privato gymnasio relicto uni operi perficiundo operam darem.

IN-

INDEX
CAPITUM TERTIÆ PARTIS
TOMI QUINTI.

CAP. I. *De jurisdictione Ecclesiæ propria.* Pag. 1

CAP. II. *De jurisdictione ecclesiastica in causis civilibus laicorum.* 10

CAP. III. *De jurisdictione ecclesiastica in causis civilibus Clericorum.* 23

CAP. IV. *De jurisdictione criminali ecclesiastica.* 29

CAP. V. *Qui Clerici & Monachi fori privilegio utantur, & utrum illud possint ejurare.* 39

CAP. VI. *De foro competenti.* 50

CAP. VII. *Quibus in causis Clerici apud judicem laicum conveniuntur.* 67

CAP. VIII. *De causis majoribus.* 75

CAP. IX. *De Conciliis generatim.* 92

CAP. X. *De Synodis episcopalibus.* 106

CAP. XI. *De Conciliis provincialibus.* 113

CAP. XII. *De Conciliis diœcesanis.* 122

CAP. XIII. *De Conciliis generalibus.* 131

CAP. XIV. *De regia in Synodos potestate.* 147

CAP. XV. *De Judicibus ordinariis.* 160

CAP. XVI. *De Vicario generali.* 163

CAP. XVII. *De Judicibus delegatis.* 169

CAP. XVIII. *De Arbitris.* 181

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI.
PARS III. TOM. V.
De judiciis & pœnis ecclesiasticis.

CAPUT I.

De jurisdictione Ecclesiæ propria.

Notio jurisdictionis *ecclesiasticæ.*

§. I. Vox *jurisdictio* in veteribus monumentis ad significandam ecclesiasticam potestatem vix occurrit, ejusque loco veteres Patres potius usurpant *ministerii*, *cathedræ*, *potestatis* & *auctoritatis* vocabula. Jurisdictio potius civile imperium, à quo Ecclesia abhorrebat, complecti videbatur. Primus, qui ab jure civili vocem jurisdictionis in Ecclesiam intulit, Gregorius M. videtur fuisse (*a*): inde sensim ea vox in jure canonico recepta est, præsertim ubi restituto legum Romanorum studio, Clerici illis addiscendis operam navarunt. Sed amplior est in jure pontificio, quam in legibus Romanis ejus vocabuli notio. Etenim jure Romano nomine jurisdictionis stricte dictæ venit causas civiles cognoscendi & dirimendi, & rem judicatam exequendi facultas, ut & judicis dandi licentia (*b*): quamvis alias ampliori sensu eo nomine etiam imperium, seu potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos homines, contineatur, quod Gerardus Noodt pluribus asseruit (*c*). At jure pontificio latissime patet jurisdictio; omnis enim potestas, qua Episcopi aliique Ecclesiæ Ministri pollent, sive sacra administrent, sive doctrinam fidei doceant, sive novos ritus, & cæremonias instituant, sive causas audiant, sive decernant, sive judicem dent, sive à peccatis solvant, sive ligent, sive in facinorosos pœnas irrogent, *jurisdictionis* nomine continetur.

Ecclesiæ propria jurisdictio.

§. II. Jurisdictio autem & potestas ecclesiastica aut sacerdotio cohæret, eique propria & intrinseca est, aut ei sæculorum cursu

(*a*) Gregor. M. lib. 14. ep. VIII.
(*b*) L. 3. D. de Jurisd.
(*c*) Gerard. Noodt de Jurisd. & imp. lib. 1. cap. 2.

su extrinsecus accessit. Et quidem esse in Ecclesia propriam quandam potestatem, qua religio exercetur, in compertis est. Sane Christus docendi & baptizandi (*a*), seu Sacramenta administrandi, suis Apostolis eorumque successoribus potestatem dedit. Idem quoque Apostolis suis claves regni cælorum tradidit (*b*), hoc est, Ecclesiæ regendæ & peccatores contumaces foras expellendi potestatem. Nimirum claves stilo Scripturarum summam quandam auctoritatem domestica omnia administrandi significant; qui enim domus claves habet, omnia, quæ in domo sunt, discernit & moderatur, & pro jure suo quoslibet excludit, vel admittit. Summa autem potestas in clavibus designata in domo Patris Christo data est (*c*): eamque reversurus ad Patrem, Apostolis commendavit. Porro apertis constat Apostoli verbis, jure divino Ecclesiæ regimen Episcopis fuisse demandatum (*d*); regimen autem cognitione, & omni potestate destitutum certe oblanguet, & nullius usus esse potest. Ecclesia quoque ex Christi promissione ad consummationem usque sæculi stare debet (*e*); non ergo potestate & regimine destituitur; hæc est enim societatum natura, ut sine certo ordine, & regimine diu stare non possint.

Circa quæ versatur Ecclesiæ potestas.

§. III. Quæ quum ita sint, potestas Ecclesiæ propria & sacerdotio intrinseca versatur circa spiritualia; atque adeo sacerdotii est christianam fidem & morum regulas docere, Sacramenta administrare, quæstiones doctrinæ seu fidem, seu mores spectent, definire; Canones condere, quibus fides & morum regulæ confirmantur, & in dubiis explicantur; ritus sacramentales aliasque sacras cæremonias instituere; Canones juris humani ecclesiastici ex justa causa relaxare; & si salus Ecclesiæ postulet, abrogare; Pastores & Ministros instituere ad perficiendum opus Domini ad sæculi finem, & ad spiritualem potestatem exercendam; eosdemque, si indigni evadant, munere suo dejicere; christianos peccatores admonere, iisdem pœnitentiam irrogare & à peccatis solvere; eosdemque contumaces & immedicabiles, qui cæteros inficere possunt, ab Ecclesiæ communione expellere. Item sacerdotii est Ecclesias & altaria consecrare, Abbates benedicere, sacras virgines velare, inter cælites seu sanctos referre, beneficia conferre, Ecclesias unire, aut dissociare, Ecclesias vacantes commendare, & hujus generis alia, quæ ad hominum spiritualem salutem spectant.

Con-

(*a*) Matth. XXVIII. 18. & seq.
(*b*) Matth. XVIII. 18., Joan. XX. 23.
(*c*) Matth. XXVIII. 18.
(*d*) Actor. XX. 28.
(*e*) Matth. XXVIII. 20.

Confutatur doctrina hæreticorum de Ecclesiæ potestate.

§. IV. Tam late patet spiritualis potestas, quæ Christi Ecclesiæ cohæret, eique intrinseca est: at contra multi ex posterioribus hæreticis, præsertim Pfaffius & Boehmerus, eam summopere extenuant, & tantum non ad nihilum reducunt (*a*). Asserunt, Ecclesias origine sua esse societates æquales omni sacro imperio destitutas; atque adeo Episcoporum & Presbyterorum potestatem tribus absolvi, facultate nempe christianam doctrinam docendi, cœtus dirigendi, & inspiciendi ut omnia recto ordine fiant; nec eorum aliquod judiciariam potestatem & jus proprium circa sacra involvere. Nam qui docet, non imperat, sed dogmata exponit, & suadendo inculcat. Qui inspectionem habet in collegio æquali, itidem amica reprehensione errantes in viam reducere sine ullo imperio debet. Et qui dirigit cœtum æqualem, tantum suffragii prærogativa utitur in rebus communi consensu peragendis, & præfecturam quandam ex ipsius collegii delegatione sine imperio in singulos exercet. Sed quotquot ita sentiunt, manifeste evangelio vim inferunt, constat enim ab ipso Christo institutos esse, qui Ecclesiam colligerent, regerent, gubernarent (*b*), de sontibus judicarent, peccata dimitterent (*c*), pœnitentias irrogarent, & contumaces ab Ecclesia tanquam ethnicos & publicanos ejicerent (*d*).

Natura potestatis ecclesiasticæ.

§. V. Illud tamen verum est, potestatem ecclesiasticam longe diversam esse à civili, nec quidquam cum imperio & civili societate habere commune. Instituta enim est ad exercitium religionis, quæ natura sua omnem vim & coactionem respuit. *Id lex nostra*, inquit Gregorius Nazianzenus (*e*), *& legislator noster sanxit, ut grex non coacte, sed sponte ac libenti animo pascatur.* Inde observat Hieronymus, hoc inter Reges & Episcopos discrimen esse, quod illi *nolentibus*, hi *volentibus* imperent (*f*). Et si contemnatur Episcopus, inquit idem Hieronymus, *non oportet ultiones ingerere, sed tota ultio est plorare & ingemiscere* (*g*). Et ante omnes Apostolorum Princeps Petrus Presbyteris edixit, ne dominentur in cleris, sed potius gregem Dei non coacte, sed sponte pascerent (*h*). Hinc potestas ecclesiastica potius ministerii, quam coactionis naturam involvit, sacrorumque ministrorum est suadere, hortari, docere, & in

(*a*) Pfaf. Orig. jur. eccles. cap. 2. art. 2. Boehm. Jur. eccles. lib. 1. tit. 31. §. 29.
(*b*) Matth. XXVIII. 18. & seq., Act. XX. 28.
(*c*) Joan. XX. 22. & seq.
(*d*) Matth. XVIII. 15. & seq.
(*e*) Gregor. Nazianz. Apol.
(*f*) Hieronym. ep. III. ad Nepot.
(*g*) Id. in ep. ad Hebr. hom. ult. & in ep. ad Tit.
(*h*) 1. Petr. V. 2. 3.

in consentientes sacram potestatem exercere, & pœnas spirituales seu pœnitentias infligere. Quod si christiani sponte sua Ecclesiam advocantem non exaudiant & rebelles perseverent, illa pœnitentia per vim non irrogabat, sed tantum eos excommunicatione mortali plectebat, hoc est tanquam ethnicos & publicanos ejiciebat.

Claves à Christo Ecclesiæ datæ.

§. VI. Potestas autem spiritualis, quæ clavium nomine designatur, potius toti Ecclesiæ, quam ejus Ministris origine sua competit, quæ est recepta apud veteres doctrina, eamque Launojus, Dupinus, N. Alexander aliique theologi adstruunt (*a*). Et quidem tum demum fratrem admonitum & contumacem tanquam ethnicum & publicanum Christus haberi voluit, *si Ecclesiam non audierit* (*b*), manifesto judicio clavium potestatem potius universitati, quam Antistitibus tributam. Deinde conceptissima sunt veterum Patrum dicta, quibus claves regni cælorum ipsi fidelium societati datæ asseruntur. *Memento*, inquit Tertullianus (*c*), *claves hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.* Et Augustinus, *Christus claves dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terris, soluta essent in cælo, quæ ligaret in terra, ligata essent in cælo* (*d*): quam doctrinam centies alibi proponit (*e*). Et ut alia mittam, Synodus Meldensis an. DCCCXLV. ita fatur, ut *clavibus Ecclesiæ datis aditus ad vitam claudi debeat, aut reserari.* Inde primis sæculis non soli Episcopi, sed cum eis Presbyteri accedente etiam laicorum consensu sæpe negotia ecclesiastica pertractarunt. Nec alia est antiquorum scholasticorum doctrina, qui post Magistrum sententiarum & B. Thomam claves Ecclesiæ semper appellant, non claves S. Petri, quia origine sua Ecclesiæ traditæ sunt. Et quamvis Christus Ecclesiæ suæ claves Petro promiserit, Patres tamen ad factum tradunt ad Ecclesiæ unitatem demonstrandam, & quod Petrus universitatis personam referebat (*f*).

Usus vero est penes Ecclesiæ Ministros.

§. VII. Verum enim vero quamvis potestas clavium in Ecclesia *tanquam in proximo & immediato subjecto resideat*, ut cum Parisiensibus theologis loquar; tamen earum exercitium Ecclesiæ pastoribus demandatum est. Recte observat Tostatus Abulensis (*g*), jurisdictionem quidem inesse posse multitudini; at ejus exercitium &

(*a*) Launojus ep. V. ad Hadr. Vallant. tom. 1. Dupin. diss. VI. de Antiq. eccles. discipl. §. 1. N. Alexand. diss. VIII. in sæc. XV. & XVI. art. 3. n. 53.
(*b*) Matth. XVIII. 17.
(*c*) Tertull. Scorp. c. X.
(*d*) August. lib. 1. de Doctr. christ. c. 8.
(*e*) Conf. N. Alexand. loc. cit.
(*f*) August. serm. 108. de Divers.
(*g*) Tostat. in cap. 15. Numer. q. 48.

& usum vix per multitudinem, præsertim si numerosior fuerit, posse explicari. Hinc Christus Ecclesiæ suæ consulens, pastores instituit, qui potestatem spiritualem tanquam ex Ecclesiæ delegatione in usum deducerent. Misit nempe Apostolos suos & eorum successores cum ampla potestate ad Ecclesiam regendam & gubernandam. Hinc Ecclesiæ præpositi jure divino aucti sunt exercitio spiritualis potestatis: nec aliquid de divina eorum institutione minuitur, quod claves regni cælorum universitati proxime commissas, ipsi tantum in usum deducant. Et quoniam Antistites nomine Ecclesiæ agere intelliguntur, hinc tanquam ejus Ministri semper habiti sunt. Paucis hæc omnia ita Abulensis proponit (*a*): *Ecclesia suscepit claves à Christo, & Apostoli tanquam Ministri Ecclesiæ; & nunc Ecclesia illas habet & Prælati etiam, sed aliter Ecclesia, quam Prælati; nam Ecclesia illas habet secundum originem & virtutem, Prælati autem habent secundum usum earum.*

Omnes christiani subjecti spirituali Ecclesiæ potestati.

§. VIII. Jam Ecclesiæ spiritualis potestas, qua doctrinam docet, Sacramenta administrat & pœnas spirituales irrogat, generalis est, eaque reguntur christiani omnes, etiam urbibus & provinciis Præfecti, qui in spiritualibus Ecclesiæ ejusque Ministris subjiciuntur. Christiani omnes in rebus religionis audire debent eos, quibus Christus Ecclesiæ suæ regimen demandavit. Et sane provinciarum præsides litteras communicatorias ab Ecclesiæ suæ Episcopo accipere debebant, quas ad Episcopum ejus loci, quo cum imperio mittebantur, deferrent, ut ita constaret, eos esse in Ecclesiæ communione; in loco autem imperii agentes ejus Episcopo suberant, & si aliquid contra publicam disciplinam attentarent, à communione excludebantur, quæ est regula in Concilio Arelatensi I. proposita (*b*). Hanc quoque regulam Chrysostomus Clericis suggerit proponitque, ne quem crudelem, immisericordem, impurum, aut alium quemcumque insignis improbitatis hominem ad Eucharistiam admittant. *Si dux quispiam*, inquit (*c*), *si consul ipse, si qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe ac coerce, majorem tu illo habes potestatem.* Ambrosius quoque aperte significavit Valentiniano Imperatori, ejus munera Ecclesiam non accepturam, nec Episcopos quietos stare, si aram Victoriæ iterum ædificari pateretur, quod Symmachus etnichus urbis Romæ gubernator ab eo postulaverat (*d*). Quin ipsum Theodosium M., quod tot hominum millia, nullo facto insontium & reorum discrimine, Thessalonicæ occidi jussisset, eucharistica communione exclusit, & publicæ pœni-

(*a*) Tostat. loc. cit. quæst. 49.
(*b*) Conc. Arelat. I. Can. VII.
(*c*) Chrysost. hom. LXXXII. in Matth.
(*d*) Ambros. ep. XXX. ad Valentin. Junior.

nitentiæ subjecit (*a*). Quamvis non semper & in omnibus casibus è re Ecclesiæ erit uti gladio spirituali contra eos, qui cum imperio præsunt, qua de re inferius pluribus disseremus.

Potestas civilis directe nihil potest in spiritualia.

§. IX. Potestas de rebus religionis adeo stricte cohæret christiano sacerdotio, ut de iis aliquid directe statuere christianis Principibus non concedatur. Et quanquam apud gentes solemne fuerit religionis & reipublicæ administrationem in unam personam coalescere; tamen apud christianos ea duo inter se distincta sunt, & religio Antistitibus, respublica vero Principibus commissa est. Sane Christus ipse, qui Ecclesiam suam divina auctoritate instituit, tantum Sacerdotes ejus regendæ potestate auxit, nihilque habet, quo de potestate Principum in res spirituales constet. A rebus temporalibus omnino alienos esse voluit, qui Ecclesiam administrarent, ut sæculi curis expediti, unice ad animarum salutem incumberent. Conceptissima in hanc sententiam sunt veterum Patrum testimonia, quæ Petrus de Marca collegit (*b*); in primis vero memoranda sunt Osii Cordubensi verba, quibus Constantinum alloquitur (*c*): *Tibi Deus imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Et Ambrosius (*d*): *Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopis judicasse....? Si docendus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, Episcopus audiat: Episcopus discat à laico.* Ipsi quoque christiani Principes in primis Valentinianus senior, Marcianus & Justinianus aperte professi sunt, spiritualia ad Sacerdotes pertinere. Hinc non jure Principes quæstiones de fide definirent, Sacramenta administrarent, ab Ecclesiæ communione contumaces tanquam ethnicos & publicanos ejicerent, aut ritus & cæremonias, quæ spectant Sacramenta, aut res spirituales, statuerent. Hinc fœdæ & demissæ humilitatis rei sunt Græci posteriores, qui etiam docendi officium, quod Episcopis tam severe vindicat Ambrosius, propter unctionis sacræ vim & potestatem Imperatoribus tribuerunt (*e*).

De pontificatu maximo christianorum Imperatorum.

§. X. Nec quenquam movere debeat pontificatus maximus, quem exemplo Julii Cæsaris, Augusti & successorum Principum christiani ipsi Imperatores assumere consueverunt ad Gratianum usque, qui ad

(*a*) Theodoret. lib. 5. cap. 18.
(*b*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 2. cap. 1. & 6.
(*c*) Ap. Athanas. ep. ad Solit.
(*d*) Ambros. ep. XXXV.
(*e*) Balsamon. in Meditat. de Patriarch.

ad imperium assumtus sacrum amictum, seu stolam pontificiam repudiavit, teste Zosimo (*a*); quasi sacerdotium illud omne circa sacra christianorum potestatem Imperatoribus conciliarit. Etenim christiani Imperatores pontificatum maximum suscipiebant, non ut de jure sacro christianorum judices sederent; sed ne vis imperii, manente adhuc idolatria, frangeretur, & sibi aliquod grave periculum crearent. Nimirum per summum sacerdotium ethnici Imperatores in suum arbitrium & potestatem redigebant religionem, qua aucti potestate facilius civilia & militaria negotia expediebant; religio enim est, qua populi maxime moventur & aguntur. Religionem vero christianam amplexi Imperatores, initio necessarium esse viderunt pontificatum assumere, nam eo repudiato omne jus sacrorum & auspiciorum, sive civilium, sive militarium, quibus populus & milites in fide continebantur, amisissent; etsi alioquin extrinsecus potius, quam animo munus illud Imperatores retinuisse videantur, quatenus eis sacerdotii illius auctoritas erat necessaria (*b*). Cæterum pontificatus hic ethnicus nullam in christianam religionem poterat Principibus communicare potestatem, quæ ex Christi mandato Antistitibus demandata est. Id agnoverunt ipsi Imperatores aucti summo illo sacerdotio, in primis Valentinianus, qui ita ad Mediolanenses scribit: *Talem in pontificali Sede constituere procuretis, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus, & ejus monita, quam tanquam homines deliquerimus, suscipiamus necessaria veluti medicamenta curantis.*

Opponitur, Constantinum directe de rebus sacris cognovisse.

§. XI. At hic permolesta occurrit difficultas, nam christiani Imperatores, etiam de rebus sacris directe videntur cognovisse. Certe ut alios mittam, Constantinus M. in causa inter Donatistas & Cæcilianum judices dedit Melchiadem Summum Pontificem aliosque tum Gallos, tum Italos Episcopos, qui Romæ habita Synodo causam tractarent & finirent (*c*): inde Donatistis ad imperiale tribunal appellantibus, Synodum Arelatensem indixit (*d*): & porro rursus hæreticis ad ejus majestatem appellantibus post Synodum Arelatensem, ultimum ipse in hac causa tulit judicium (*e*). Quin idem Imperator Æliano Africæ proconsuli mandavit, ut de criminibus Felicis Aptungitani publice quæreret & judicaret (*f*). Causa ista erat mere ecclesiastica: schisma in Africa ortum erat ob ordinationem Cæciliani, quam illegitimam Donatistæ asserebant, tum ob propria Cæ-

(*a*) Zosim. Hist. lib. 4.
(*b*) Gravina de Rom. Imper. cap. 7.
(*c*) Optat. lib. 1 advers Parmen., August. ep. LXII.
(*d*) August. ep. LXVIII
(*e*) August. cit. ep. LXVIII. & CLXII.
(*f*) Optat. Milevit. loc. cit., August. lib. post collat. contra Donatistas cap. 32.

Cæciliani ipsius crimina, quod scilicet Martyribus in carcere detentis victum subtraxisset, & sacras Scripturas persecutoribus tradidisset: tum ob scelera Felicis Aptungitani, à quo fuerat ordinatus, & quem etiam sacrorum Codicum traditorem fuisse criminabantur. Hinc Valesius dissimulare non potuit, *aliquando plus* (Constantinum) *sibi in negotiis ecclesiasticis vindicasse, quam laico Principi conveniret* (*a*).

Satisfit objectioni.

§. XII. Verum si res ex ejus ætatis disciplina expendatur, apparebit, in causa Cæciliani omnia pro jure suo Constantinum egisse, ea enim veteres Patres rata habuerunt, improbaturi profecto si Princeps jura Sacerdotum usurpasset. Tantum Donatistæ, qui primi causam ad Principem detulerunt, de judicorum iniquitate conquesti sunt: *quid christianis cum Regibus? quid Episcopis cum palatio?* Nimirum tum temporis causæ ecclesiasticæ in provinciis ultimo judicio finiebantur, nec dabatur appellatio, nisi divalibus rescriptis Imperator extraordinariam Synodum concessisset, quod Petrus de Marca pluribus probat (*b*). In Synodo septuaginta Episcoporum Donatistæ Cæcilianum damnaverant, nec tamen damnatio illa causam finierat, quod Cæcilianus pluribus Ecclesiis & præsertim Romanæ communione conjunctus erat. Ergo Donatistæ rem ad Constantinum deferunt, qui schisma, quo Africana agitabatur Ecclesia, compositurus duo episcopalia judicia unum post aliud concessit; judicio enim Romanæ Synodi Donatistæ non adquieverunt, sed Imperatorem iterum interpellarunt, quasi Melchiades & collegæ causa non audita & clanculum judicassent. Hæc duo judicia pro jure suo dedit Constantinus, sive quod ea ætate extraordinariæ Synodi sine concessione Principis non haberentur, sive quod ad ejus curam pertineret excitos in Ecclesia motus, qui rempublicam etiam perturbabant, componere. Porro cognitio de Felici Aptungitano proconsuli commissa potius facti, quam juris quæstionem spectavit, *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani publice quæreretur*, ut habet Principis delegatio (*c*): & hinc Augustinus ad curam Principis eam cognitionem asseruit pertinuisse (*d*). Ultimum vero judicium in causa Donatistarum Imperator coactus & pro bono pacis suscepit, ne illi ulterius clamarent contra judices ecclesiasticos & ordinem judiciorum, ea de re ab Episcopis veniam postea petiturus: quæ est Augustini doctrina, *eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret, à sanctis Antistitibus veniam postea petiturus, dum tamen illi, quid ulterius dicerent, non haberent* (*e*). *Prin-*

(*a*) Vales. in Euseb. lib. 3 de Vita Constant. cap. 51.
(*b*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 7. cap. 2.
(*c*) Ap. Optat. lib. 1 advers. Parmenian.
(*d*) August. ep CLII. & CLXII.
(*e*) August. cit. ep. CLXII.

Principum est religionem & Ecclesiam tueri.

§. XIII. Quamvis autem sæculi Principes directe in res spirituales & religionem nihil possint; tamen ad eos spectat pro jure imperii Ecclesiam & religionem tueri: qua in re Principes Deo serviunt, & simul civitatis commoda promovent; vulgatum est enim, primum civilis societatis fulcrum esse religionem. Præclare Augustinus (*a*): *In hoc Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam, quæ ad divinam religionem.* Et Leo M. (*b*): *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo ea, quæ bene statuta sunt, defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata restitutas.* Hinc manavit doctrina illa Isidori, Principes sæculi debere rationem Deo reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt (*c*). Nec boni Principes huic officio unquam defuerunt; passim enim apud omnes christiani nominis gentes exstant leges, quibus christianam fidem & disciplinam ab Ecclesia confirmatam & statutam Principes confirmarunt, pœnis temporalibus subinde adjunctis. Item Principes ex consilio Sacerdotum sæpe Synodos ad fidei confirmationem indixerunt, aut iis consenserunt, aut habendis locum dederunt: Ecclesiæ petenti auxilium & vim contra contumaces & rebelles christianos non denegarunt, & turbas ab hæreticis excitatas coercuerunt. Hujus vero tuitionis adeo studiosus fuit Constantinus M., ut velut *communis omnium Episcopus* à Deo constitutus videretur, quod Eusebius testatur (*d*): quamvis episcopatus ille Constantini, quo ipse dixit, se Episcopum extra Ecclesiam esse constitutum (*e*), ad imperii & reipublicæ rectam administrationem pertinuisse videatur. Quod tuitionis jus adeo late ab Imperatoribus christianis explicabatur, *ut ex illo tempore, quo christiani esse cœperunt Imperatores, Ecclesiæ negotia ex eorum nutu pendere visa sint*, quod Socrates testatur (*f*).

(*a*) August. lib. 3. contra Crescon. cap. 51.
(*b*) Leo M ep. CXXXV. ed. quæst.
(*c*) Can XX. c. 23. q. 5.
(*d*) Euseb. lib. 1. de Vit. Constant. cap. 44.
(*e*) Euseb. lib. 4. eod. cap. 24.
(*f*) Socrat. lib. 5. Hist. in proœm.

CAPUT II.

De jurisdictione ecclesiastica in causis civilibus laicorum.

Jurisdictio civilis extrinsecus sacerdotio accessit.

§. I. Jurisdictio, quæ Christi sacerdotio extrinsecus accessit, in duobus præsertim consistit, in decidendis nimirum causis civilibus, sive Laicorum, sive Clericorum, & in puniendis in foro externo civilibus laicorum delictis. Et ad causas civiles quod spectat, in compertis est, eo non extendi spiritualem Ecclesiæ potestatem. Certe Christus aperte professus est, *regnum suum non esse de hoc mundo* (*a*), hoc est temporale non esse, ut ex Patrum sententia Calmetus eum locum interpretatur. Hinc quum quis Christi arbitrium super familia erciscunda interpellasset, arbitrium ipse suscipere noluit, *quis me constituit judicem, aut divisorem super vos* (*b*)? Nec unquam Herodis, aut Romanorum potestati quidquam denegavit, quin potius sibi datam potestatem alterius generis esse, & reddenda Cæsari, quæ erant Cæsaris, conceptis verbis edixit. Inde ea Patrum doctrina, rerum administrationem ex sacerdotio & regno procedere, quorum hoc negotiis rebusque terrenis, illud religioni & rebus spiritualibus præsit (*c*). *Illi*, Reges nempe, *in negotiis*, inquit Synesius (*d*), *nos in oratione collocati sumus.* Præclare S. Bernardus, *nemo monstrabit, ubi aliquando quisquam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego* (*e*). Extrinsecus igitur civilis jurisdictio sacerdotio accessit; quod qua ratione factum sit, deinceps aperiemus.

Christiana doctrina de litibus fugiendis.

§. II. Christiana religio, quæ homines quousque terreno corpore involvuntur, veluti peregrinos habet, videtur postulare, ne christiani facile de rebus transitoriis litigent. *Qui vult tecum judicio contendere*, inquit Christus (*f*), *& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et alibi, *qui aufert quæ tua sunt, ne repetas* (*g*). Christo concinit Apostolus (*h*), *omnino dictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem*

(*a*) Joan. XVIII. 36.
(*b*) Luc. XII. 14.
(*c*) Osius Cordubens. apud Athanas. ep. ad Solitar., Gregor. Nazianz. orat. 17. Gelas. Papa ap Grat. Can X. D. 96.
(*d*) Synes. ep. LVII.
(*e*) S. Bernard. lib 1. de Consid. cap. 6.
(*f*) Matth V. 40.
(*g*) Luc VI 30.
(*h*) 1. ad Cor. VI. 7.

dem patimini? Sane christiana morum philosophia tota in charitate posita est: charitas vero ne levem quidem patitur animorum dissensionem; & sine odiis, simultatibus & fraudibus lites vix exercentur. Hinc primis sæculis plerique christiani litibus abstinebant. *Christiani*, inquit Athenagoras (*a*), *adversus sua rapientes judicio non contendunt.* Cui praxi primis sæculis vim addebat multam opinio de jam jam instanti die Domini, quæ animis christianorum infixa, à rebus terrenis eos multum distrahere debebat.

Consilii potius & perfectionis, quam præcepti videtur esse.

§. III. Utrum vero doctrina ista, quæ christianis indicere videtur, ut sua potius dimittant, quam judicio tendant, verum contineat præceptum, an potius consilium ad perfectionem sit, dubitatur. Ex veteribus Basilius & Salvianus (*b*) præceptum à Christo fuisse docent ea ipsa, de quibus lis est, relinquere, modo litibus exuamur. Sed alii, in primis Grotius (*c*), litium fugam inter divina consilia, quibus ad perfectionem contenditur, recensent. Equidem perfectionis est curis sæculi exui, & terrena despicere: at id generaliter quî præceptum esse potest? Omnino lites spernere etiamsi bona omnia nostra impetantur, non bene videtur convenire cum juris naturæ scitis, quibus homines se suosque alere & exhibere debent, præsertim si familiam habeant. Qui domesticorum curam non gerit, est infideli deterior, inquit Paulus (*d*). Et recte Grotius (*e*) observat, doctrinam Christi de dimittendo pallio si tunica tollatur, non generalem esse, sed res facile recuperabiles spectare, ut tunica, aut cum tunica, si opus sit, pallium. Quo sensu etiam Apollonius Tyanæus (*f*) negabat, philosophi esse de pecuniola litigare. At inde non recte concluditur, etiam parenti, etiam tutori nefas fore, id sine quo liberi, sine quo pupilli sustentari nequeant, si cogatur, apud judicem defendere. Aliud est tunica & pallium, aliud totum illud, unde vivitur. Quod si Apostolus omnino delictum Corinthiis imputet, quod inter se litigarent (*g*), delictum hoc mera imperfectio videtur fuisse, non crimen, quo justitia amittebatur; vox enim ἥττημα, quam Apostolus usurpat, proprie defectum & deminutionem denotat.

Doctrina Apostoli ut fideles apud fratres lites deferant.

§. IV. Hæc litium fuga christianæ religionis summa perfectio est, quam paucis consequi datur. Quapropter christiani justi, etsi mi-

(*a*) Athenag. Legat. pro christ. cap. 1.
(*b*) Basil. hom. de Legend. Græc., Salvian. de Gubern. Dei lib. 3.
(*c*) Grot. de I. B. ac P. lib. 1. cap. 2. §. 9. 4.
(*d*) 1. Tim. V. 2.
(*e*) Grot. loc. cit. §. 8. 4.
(*f*) Philostrat. Vit. Apoll. lib. 2. cap. 15.
(*g*) 1. Cor. V. 7.

minus perfecti, sua semper repetere potuerunt; at primis sæculis ex regulis christianæ pietatis id faciendum erat *ecclesiastico judicio, non forensi*, ut loquitur Augustinus (*a*). Et profecto Apostolus gravi oratione exagitat Corinthios, quod lites de rebus pecuniariis apud publicos judices, qui tum ethnici erant, exercerent, & ἥττημα *delictum*, seu potius imperfectionem, esse dicit, quod judicio sua persequerentur: tum permittit, ut si sua velint repetere, posthabitis publicis judicibus, christianos litium suarum judices, seu potius arbitros, constituant (*b*). Cui praxi Apostolus adeo inhæret, ut potius velit, abjectos & viles ex christianis de litibus cognoscere, quam christianos apud ethnicos judices litigare. *Sæcularia judicia si habueritis* ἐξουθενημένους *contemptibiles, qui sunt in Ecclesia constituite ad judicandum.* Quod Apostolus dicit non absolute, sed potius comparate, quasi è re christiana magis esset, infirmos ex christianis de causis fratrum arbitrari, quam apud ethnicos contendere, ut recte Estius interpretatur (*c*). Qua in re christianis præiverant Judæi, apud quos recepta erat sententia, nomen Dei polluere, qui negotia Israelitica adducit ad extraneos. Summa vero ratione Apostolus christianos ab ethnicis tribunalibus procul esse voluit, ne religio & christiani ipsi offensioni gentibus essent, quasi verbis non re charitatem, sui abnegationem & rerum terrenarum contemptum prædicarent.

Christianos à magistratuum jurisdictione non exemit.

§. V. Quamvis vero generaliter edixerit Apostolus, ut christiani, relictis ethnicis magistratibus, apud fratres lites suas componendas deferrent; nihil tamen ea doctrina de magistratuum in christianos imperio & jurisdictione detractum est. Sane aperta est ejusdem Apostoli sententia, omnem hominem civili potestati divino jure subjectum esse (*d*): quod etiam Petrus Apostolorum Princeps habet (*e*), & Patres omnes agnoverunt. Et recte vidit Estius, Apostoli sermonem præcipue spectare actorem, in cujus potestate erat apud magistratum lites suas instituere; reo enim vocato non licebat magistratus jurisdictionem declinare. Itaque Apostoli doctrina hoc tantum continet, ut christiani ex lege charitatis lites suas apud fratres ex bono & æquo componant; non vero ut christiano ad gentium tribunal vocato integrum esset ejus declinare jurisdictionem. Nec audiendus Bellarminus, qui docere videtur, Apostoli auctoritate christianos in causis pecuniariis à magistratuum ethnicorum jurisdictione exemtos fuisse, nec ejus jure debuisse subjec-

(*a*) August. lib. 3. ad Bonif. cap. 5.
(*b*) 1 ad Cor. VI.
(*c*) Estius com. in cit. epist.
(*d*) Ad Rom. XIII. 1. & seq.
(*e*) 1. Petri II. 13. & seq.

jectionem, quem errorem Barclajus late confutavit (*a*).

Episcopi ad componendas lites à litigantibus assumti.

§. VI. Dum vero vult Apostolus, ut christiani ecclesiastico judicio, non forensi lites componant suas, non designat, quos christianos in arbitros eligi oportet: quin potius ejus doctrina est omnem christianum alias idoneum, huic oneri sufficere. Hinc christiani initio lites suas ad quoscumque fratres, alias idoneos, deferebant. Sensim vero fidelium consuetudine id onus ferme solis Episcopis delatum; hi enim prudentia & integritate sua maxime idonei ad lites componendas visi sunt. Nec Episcopi, qui ratione muneris sui pacem christianam gregi sibi commisso debebant instillare, id onus detrectabant. Quin eorum aliqui, in primis Augustinus (*b*), hoc onus Episcopis ab Apostolo injectum opinabantur, ex moribus fortasse sui temporis Apostoli doctrinam intelligentes. Ita domus Episcoporum primis sæculis catervis litigiosorum hominum erant repletæ, præsertim si Episcopi prudentia & charitate longe eminerent, ut exemplo Ambrosii & Augustini constat (*c*). Quoniam vero hoc officium permolestum erat, & sæpe Episcopos alio evocabant curæ graviores, aliquando Episcopi lites decidendas Presbyteris aut Diaconis committebant (*d*); nec defuerunt, qui laicos æquitatis studiosos dederunt cognitores, præsertim si vidissent Clericos, quibus lites decidendæ committebantur, aliquid sibi lucri inde captare (*e*). Itaque non recte praxim primorum sæculorum proponit epistola sub nomine Clementis, ubi veluti alienum ab officio pastorali exhibetur, Episcopum litibus decidendis vacare, totumque id negotii in Presbyteros conjicitur (*f*).

Qui Episcopi lites decidebant.

§. VII. Jam Episcopi in causis pecuniariis ex partium consensu decidendis nullam solemnem scripturam adhibebant, & tanquam pacis interpretes, non tanquam veri judices, æquitatem sectabantur, & temperamento aliquo dissidentes in concordiam adducere studebant. Ne vero errarent, ubi jus obscurum erat, sæpe jurisconsultos consulebant (*g*). Quin ad Episcopi officium etiam pertinere credebatur, legibus addiscendis operam dare. *Ut qui* (Episcopus) inquit Synesius (*h*), *legum doctor sit, & quæ legibus consentanea sunt, loquatur.*

(*a*) Barclajus de Potest. Papæ cap. 21.
(*b*) August. de Oper. Monachor. cap. 29.
(*c*) August. Confes. lib. 4. c. 3., Possid. Vit. August. c. 19.
(*d*) August. ep. CX., Conc. Tarracon. Can. IV.
(*e*) Socrat. lib 7. cap. 37.
(*f*) Can. XXX. & XXXII. c. 11. q. 1.
(*g*) August. serm. XLIX. de Divers.
(*h*) Synes. ep. CV.

tur. Studebant etiam Episcopi temporis compendio, ut animorum motus cito residerent; atque ut omnino residerent, sæpe jurejurando super altare vel super reliquias Martyrum lites finitæ (*a*). Quod si arbitrium haud feliciter cessurum animadverterent, judicium non recipiendum Ambrosius monebat (*b*). Vere christiana erat hæc litium finiendarum ratio, nec quidquam optabilius civitati poterat evenire, quam ut odia & lites cito componerentur. Hinc factum, ut Episcopi non à solis fidelibus, sed à cujusque sectæ hominibus ad lites derimendas interpellarentur, quod de Augustino Possidius testatur (*c*).

Arbitria Episcoporum à christianis Imperatoribus confirmata.

§. VIII. Translato ad christianos imperio antiquam in causis pecuniariis Episcopos adeundi consuetudinem Imperatores, utilitati reipublicæ consulentes, confirmarunt, & multis accessionibus eorum auctoritatem munierunt. Et quid quæso melius civitati poterat evenire, quam amputatis odiis, lites cito finiri, & pacem & amorem inter cives conciliari? Itaque Honorius & Arcadius statuerunt, ut liberum omnibus litigantibus esset, *ex consensu* causas suas pecuniarias ad Episcopum deferre (*d*); & alia lege voluerunt, ut *episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint* (*e*). Non ergo vera jurisdictio in causis pecuniariis laicorum per leges imperiales Episcopis data; sed tantum iis concessum, ut arbitria in litibus, quas ex consensu litigantes deferebant, pronunciarent: quod etiam ex lege quadam Valentiniani III. constat (*f*). Nulla esse poterat jurisdictio, ubi nulla coactio, & partes sponte sua Episcopum adire debebant. Interim arbitria ista Episcoporum sic rata & firma Imperatores voluerunt, ut inde non liceret provocare, tanquam si à præfecto prætorio sententia lata esset, mandatumque proinde ordinariis magistratibus & eorum officiis, ea omnino exequi & in effectum deducere (*g*). Qua quidem in re distabant arbitria Episcoporum sub Imperatoribus christianis ab iis, quæ sub ethnicis pronunciata sunt; nam hæc tantum religione nitebantur, illa vero juris continebant necessitatem, & à magistratibus executioni tradi debebant. Ita ab arbitriis Episcoporum quasi actio judicati dabatur, quando ab arbitris sumtis jure civili nulla erat actio judicati, sed tantum actio in incertum competebat (*h*).

Lex

(*a*) Gregor. Turonens. lib. 5. c. 33.
(*b*) Ambros. de Off. lib. 2. c. 24.
(*c*) Possid. Vit. August. c. 19.
(*d*) L. 7. Cod. de Episc. aud.
(*e*) L. 8. Cod. eod.
(*f*) Novell. XII. de Episc. judic. ad calc. C. Th.
(*g*) Cit. l. 8.
(*h*) L. 27. §. 7. D. de Recept. qui arbitr.

Lex Constantini M. ad Ablavium exploditur.

§. IX. Jam arbitriis Episcoporum, qui ex consensu litigantium tanquam judices assumi solebant, adversari videtur edictum sub nomine Constantini M. ad Ablavium PF. P., quod exstat *L.* 1. ad calcem *C. Th. sub tit. de Episcopali judicio*; eo enim litigantibus conceditur, ut in quavis parte judicii ante sententiam sacrosanctæ legis Antistitis judicium eligere possint, *etiamsi altera pars refragatur.* Seldenus & Alteserra (*a*) hanc legem veluti genuinam tuentur: contra ex meliori ratione Jac. Gothofredus eam veluti spuriam explodit, contenditque opus esse posteriori ætate à falsariis miscellionibus consarcinatum (*b*). Sane contraria est omnibus aliis genuinis Imperatorum legibus, quæ tantum ex consensu litigantibus permittunt adire Episcopi auditorium: quo fit, ut ea vel non sit Constantini, aut per posteriores leges abrogata sit. Porro Constantinus id tantum litigantibus dedit, *ut ad Episcoporum judicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent*, ut habet Sozomenus (*c*): quod argumento est, etiam ex lege Constantini tantum ex compacto potuisse litigantes sacrosanctæ legis Antistitis eligere judicium, non etiam altera parte refragante. Et si Eusebius testetur, Constantinum sententias Episcoporum in Synodis latas confirmasse, & provinciarum rectoribus easdem rescindere vetuisse (*d*), inde non eruitur, Imperatorem quoque concessisse, ut etiam altero litigatorum invito causa ad Episcopum devolveretur. Hinc mirari subit, præcipua argumenta, quibus lex Constantini genuina asseritur, ab Eusebii & Sozomeni auctoritate desumi.

Varia civilia negotia curæ Episcoporum commissa.

§. X. Porro quod prudentia & charitas Episcoporum satis perspectæ & cognitæ essent, christiani Imperatores iis etiam in varia civilia negotia inspectionem & auctoritatem concesserunt. Sane Theodosii & Valentiniani lege filiæ & ancillæ patrocinio & protectione Episcopi peccandi jugum poterant excutere, si patres, dominive peccandi imponerent necessitatem (*e*). Item Leonis constitutione integrum erat Episcopo, locive magistratui prohibere ne mulier, sive libera, sive serva invita in theatrum prodiret, aut mimis jungeretur (*f*). Episcopus quoque una cum loci magistratu assertor erat libertatis infantium expositorum: quod ab Justiniano statutum est (*g*). Porro ejusdem Principis lege in provinciis tutor datus à pa-

(*a*) Selden. Uxor. Hebr. lib. 3. cap. 28., Alteser. de Jurisd. lib. 1. cap. 7.
(*b*) Gothof. in cit l. 1.
(*c*) Sozom. lib 1. c 9.
(*d*) Euseb de Vit. Constant. lib. 4. cap. 27.
(*e*) L 12. Cod de Episc aud.
(*f*) L. 14 Cod. de Episc. aud.
(*g*) L. 24. Cod. eod.

patre furiosis ante præsidem, loci Antistitem & tres primates jusjurandum de recte administrando præstabat: & si pater intestatus decessisset, & tutor nullus legitimus esset, Antistes etiam tutoris electioni præsens esse debebat (*a*). Et si dementis liberi, sive mares, sive feminæ nuptias contrahebant, in provinciis donationem propter nuptias & dotem præsides, aut Antistites constituebant (*b*). Item per Justiniani legem Episcopi semel per hebdomadam carceres invisere debebant, causas detentorum exquirere, & officii sui magistratus admonere; & si eos, aut eorum ministros negligentes invenirent, Principem ipsum certiorem facere (*c*). Constituti sunt etiam Episcopi legibus Justiniani causarum piarum executores (*d*), iisdemque etiam rei frumentariæ & publicorum ædificiorum cura commissa est (*e*). Cæterum Episcopi in his & similibus negotiis ex Principis delegatione procedebant, sed vera jurisdictione aucti non erant: atque adeo eis præsto erant magistratus, qui leges exequebantur: & si negotia minus recte procederent ipsorum magistratuum negligentia, ea de re Principem certiorem facere debebant, cui ipsi Episcopi, si minus recte sibi commissa negotia procurarent, rationes reddere tenebantur.

Arbitria Episcoporum in veram jurisdictionem abeunt.

§. XI. Hæc fuit per plura sæcula Episcoporum auctoritas in finiendis laicorum civilibus causis, & in multis aliis civilibus negotiis ex legum delegatione curandis; at labentibus annis auctoritas ista ferme abiit in veram jurisdictionem, quæ sæculi ignorantia & studiis Episcoporum longe lateque producta est, hactenus ut magistratuum juris dicundi potestas fere omnis interciderit. Conficta sub Constantini M. nomine constitutio, quæ sæculo octavo exeunte in scenam prodierat, quæ litigantibus concedebat, ut etiam altero invito lites suas ad sacrosanctæ legis Antistitem deferrent, tantæ mutationi præcipuam causam, præbuit. Nimirum eam legem sub nomine Theodosii Carolus M. probavit, & in omnibus sibi subjectis provinciis servari voluit, quocumque tandem jure populi viverent (*f*). Ita vera jurisdictio Episcoporum auctoritati accessit, modo litigantium alter Episcopi judicium selegisset. Majus inde pondus accessit postquam Ivo Carnotensis & Gratianus sub nomine Theodosii suppositam Constantino legem codicibus inseruerunt suis (*g*): & inde Innocentius III. eadem, item tanquam à Theodosio lata, & à Carolo M. confirmata, usus est, ad probandum ad se

(*a*) L. 22. Cod. eod.
(*b*) L. 28. Cod. eod.
(*c*) L. 22. Cod. eod.
(*d*) L. 46. Cod. de Episc. & Cler.
(*e*) L. 26. Cod. de Episc. aud.
(*f*) Lib. 6. Capitul. c. 366. edit. Baluf.
(*g*) Ivo Decr. part. 16. c. 312., Grat. Can. XXXV. & seq. c. 11. q. 1.

se pertinere judicium inter Joannem Regem Angliæ & Philippum Regem Franciæ de quibusdam feudis, quæ ad se devoluta Rex Franciæ contendebat, quod ille nefarium parricidii facinus admisisset (*a*). Qua quidem in re Summus Pontifex augendæ Ecclesiæ jurisdictioni studebat: nec enim lex illa, etsi genuina foret, ad propositam speciem faciebat: tractat nimirum lex de causis privatorum, atque adeo ad causas summorum imperantium non videbatur producenda. Sed cur lex, quæ initio Constantini nomen prætulit, inde Theodosio passim tributa sit? Id factum tradit Alteserra, quod stultior & supinior ætas leges Theodosianas appellabat eas omnes, quas codex Theodosianus complectebatur, etsi alios à Theodosio haberent auctores (*b*).

Causæ civiles laicorum obtentu peccati ad Episcopum delatæ.

§. XII. Postquam arbitria Episcoporum in vera judicia abierunt, variis rationibus civilis Episcoporum jurisdictio ad negotia ferme omnia civilia laicorum, sive in rem, sive in personam ageretur, producta est. In primis lites omnes, quibus mala fides, aut peccatum aliquod inesset, suæ jurisdictionis esse ecclesiastici contendebant. Quod enim Evangelium iis tribuat peccatorum omnium in foro interno & sacramentali censuram, inde concludebant, etiam in foro externo causas omnes, in quibus peccatum aliquod interveniret, ad judicem ecclesiasticum deferri debere. Et ita intelligebant Evangelii verba, *si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ*, præsertim si partes quærerentur, eamque querelam propterea *denuntiationem evangelicam* dicebant. Conceptissima in hanc sententiam Innocentii III. verba sunt; qui etiam hoc nomine sedere judicem in causis feudalibus inter Regem Franciæ & Angliæ contendebat, quod ad Ecclesiam judicare de peccato pertineret, præsertim quod præmissis admonitionibus Rex Angliæ judicium Ecclesiæ interpellasset: *non intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum* (Regem) *spectat judicium, sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus* (*c*). At judicium de peccato etiam rei controversæ judicium involvebat. Quum vero vix ullæ sint causæ, quibus mala fides, aut peccatum, aliquod, saltem ex una parte, non insit, facile datur intelligi, causas omnes hoc nomine ad forum ecclesiasticum devolvi debuisse. Sed facile erat observare, cognitionem de peccato ad Sacerdotes in foro interno, non externo pertinere.

Item obtentu jurisjurandi.

§. XIII. Porro multis aliis rationibus, veluti juramenti, matrimo-

(*a*) Cap. 13. ext. de Judic.
(*b*) Alteser. de Jurisd. eccles. lib. 1. cap. 7.
(*c*) Cit. cap. 13.

monii, testamenti & cujuslibet causæ piæ ad suam jurisdictionem Episcopi causas civiles etiam laicorum trahere consueverunt; iis enim titulis mira interpretatione negotiis ferme omnibus qualitatem spiritualem adspergebant. Et quidem obtentu jurisjurandi, quod negotiis & contractibus omnibus, qui in scripturam redigebantur, addi consueverat, lites ecclesiasticæ cognitionis esse censebantur: quod sæculo XIII. jam receptum erat. Inde respondit Bonifacius VIII. posse laicum coram judice ecclesiastico à Clerico, qui pro eo fidejusserat, conveniri, quod reus juramento se adstringerat, fidejussorem indemnem servare: *ratione enim juramenti*, ait Pontifex (*a*), *causæ hujusmodi cognitio ad forum ecclesiasticum noscitur pertinere.* Cognitio de jurejurando, utrum licitum sit & obligatorium, ut & de perjurio, jure decretalium Episcopis tribuitur (*b*): & hinc facile cognitio ad juratos contractos extendi potuit. Hoc nomine lites ferme omnes de contractibus etiam inter laicos ad judicem ecclesiasticum devolvebantur, quia tabelliones ferme nunquam omittebant adjicere à contrahentibus præstitum sacramentum de servandis, quæ pepigissent (*c*). Stetit diu hæc disciplina, quæ optima ratione niti credebatur; & hinc quum Principes deliberassent causas hujusmodi profanas foro laico restituere, illud consilium inierunt, suis subditis generatim vetandi, ne contractus aliave negotia profana jurejurando firmarent (*d*).

Causæ ex matrimonio pendentes episcopalis cognitionis.

§. XIV. Causæ quoque matrimonii, & inde pendentes, veluti de dote, de sponsorum largitionibus, donationibus propter nuptias, & prolis educatione, tum criminales de raptu, ac stupro & adulterio ad forum ecclesiasticum devolvebantur. Ex veteri disciplina matrimonii contractus & civiles ejusdem effectus omnes ad civilem potestatem pertinebant; atque ita ejus erat de ipsa matrimonii vi, de sponsalibus, dote, natalibus, & hujus generis aliis judicare. Tantum ad Ecclesiam pertinebat ritus sacer, & nuptiarum benedictio, & præterea videre, utrum nuptiæ in Domino contrahebantur. At lapsu temporis jus hoc omne mutatum est; Sacramentum enim, quod accessorium contractui erat, tanquam principale haberi cœpit, & ipsum contractum occupavit. Hinc causæ omnes de ipsa sponsaliorum & matrimonii vi, & de divortio ecclesiasticæ cognitionis evaserunt, & præterea causæ mere civiles, quæ matrimonio, aut sponsalibus erant adnexæ, vel inde pendebant. Et reapse in libris Decretalium plura Urbani III., Cælestini III., Innocentii III. & Gregorii IX. extant rescripta, quibus ecclesiasti-

(*a*) Cap. 3. ext. de Foro comp. in 6.
(*b*) Cap. 13. ext. de Judic.
(*c*) Conf. Mornac. ad l. 8. Cod. de Episc. aud.
(*d*) Conf. Felician. Oliva de Foro ecclesiast. part. 1. q. 3.

tica judicia de dote & donatione propter nuptias prolata continentur. Sed causæ civiles matrimonio connexæ tum præsertim cognitionis ecclesiasticæ habebantur, si quæstioni de vi matrimonii, aut de divortio incidissent. *Vos qui de matrimonio principaliter cognovistis*, inquit Clemens III. ad Pisanos judices ecclesiasticos (*a*), *& de dote quæ causa est incidens, accessorie cognoscere valuistis, & sententialiter definire.* Quæstio vero natalium, idest de statu liberorum, etiamsi alteri quæstioni non incidisset, ab ecclesiastico judice cognoscebatur (*b*), quod nisi expensa matrimonii causa non poterat definiri.

Item causæ de testamentis.

§. XV. Præterea causæ de testamentis cognitionis ecclesiasticæ evaserant, atque adeo de iis Episcopi judicabant, & quæstiones decidebant. Legibus christianorum Principum legata in causam piam testamentis relicta Episcopi exigebant & exequebantur (*c*); quæ executio nullam jurisdictionem involvebat. At lapsu temporis, ubi ferme soli Clerici ex legibus civilibus sapere cœperunt, vera jurisdictio in causas testamentarias Episcopis accessit, cui mutationi etiam contulit mos ille in scribendis testamentis receptus, quo ferme nullum testamentum scribebatur, nisi notarius apostolicus interveniret: notarii enim apostolici interventus negotium facere ecclesiasticum credebatur (*d*). Hac recepta disciplina Alexander III. reprobata juris civilis de adhibendis septem testibus solemnitate, statuit, ut testamenta, quæ fideles coram Presbytero suo & tribus, aut duobus testibus in extrema voluntate faciebant, rata, & firma essent (*e*). Quin adeo extensa est ratio causæ piæ testamentis adnexæ, ut si aliquis intestatus decessisset, Episcopi bona defuncti omnia occuparent, veluti quæ causæ piæ suberant (*f*). Occupatis bonis hæredes seligere arbitros tenebantur, qui summam definirent, quam defunctus pro anima sua fuisset legaturus. Inde etiam in Francia, Hispania, Anglia, & in Apuliæ regno mos invaluit, ut Episcopi ipsi testamentum ad piam causam conderent pro defunctis, qui intestati decessissent (*g*).

Causæ miserabilium ad forum ecclesiasticum translatæ.

§. XVI. Præterea causæ viduarum, pupillorum, pauperum, peregrinorum & miserabilium personarum ecclesiasticæ jurisdictionis es-

(*a*) Cap. 3. ext. de Donat. inter vir. & uxor.
(*b*) Cap. 3. ext. de Ordine cognit., cap. 5. ext. Qui filii sint legitimi.
(*c*) L. 28. Cod. de Episc. & Cleric.
(*d*) Mornac. loc. cit.
(*e*) Cap. 10. & seq. ext. de Testam.
(*f*) Conf. Loyseau des Seigneur. & justic. ecclesiastiques chap. 15.
(*g*) Conf. Gonzalez in cap. 10. & seq. ext. de Testam., Cang. v. *Intestatio*, & Jannon. lib. 19. cap. 5. §. 3.

esse censebantur, atque adeo in eorum causis laici coram Episcopo conveniri solebant. *Viduis, pupillis, orphanis & personis miserabilibus tenearis in judicio ecclesiastico respondere*, sunt verba Innocentii III. ad comitem Tolosanum (*a*); idque verum habebatur, etiamsi de rebus feudalibus controversia esset. Et profecto Berengaria vidua quondam Angliæ Regina declinato sæculari foro auctoritate Joannis Papæ, seu potius Innocentii III. interdicto unde vi egit coram Archiepiscopo Turonensi contra virum quendam nobilem, qui eam possessione cujusdam castri feudalis, donatione propter nuptias eidem dati, vi dejecerat, quod judicium rejectis viri nobilis exceptionibus Honorius III. probavit (*b*). Videtur autem jurisdictio in causas viduarum & miserabilium personarum Episcopis accessisse in alienum sensum detortis antiquis Canonibus, qui passim viduarum, orphanorum, pauperum curam & tuitionem Episcopis demandant, ut videre est apud Thomassinum (*c*). Nimirum quamvis longum discrimen esset inter tuitionem viduis & miserabilibus exhibendam, & in eas & earum causas jurisdictionem; tamen ubi forum ecclesiasticum omni causarum genere perstrepebat, facile mera episcopalis defensio in jurisdictionem abiit.

Episcopi supplent magistratuum negligentiam.

§. XVII. His omnibus addere illud oportet, causas civiles laicorum ad forum episcopale etiam devolvi consuevisse in subsidium, & ad judicis laici supplendam negligentiam. Jure novissimo Justiniani si præses, vel provinciæ rector provincialibus jus dicere negligeret, licebat eis Episcopum adire, qui magistratum negligentem conveniebat, & si is interpellatus etiam neglexisset, Principem ipsum facere debebat certiorem: itemque si litigantibus rector provinciæ suspectus foret, Episcopus civitatis simul cum præside judex adjungebatur (*d*). At Episcopi & Pontifices mediis sæculis ulterius progressi officii & potestatis suæ esse censebant, magistratuum in jure dicundo supplere negligentiam, non ea de re Principi nuntiare. Hinc si quæ causa in longum apud magistratum traheretur, vel si magistratus jus dicere cessaret, lis transferebatur ad Episcopum, & quasi jure devoluto laicis apud eum agere & conveniri licebat (*e*). Inde Episcopi etiam sibi tribuerunt de judicibus suspectis judicare: quod & in Gallia & in Hispania obtinuit (*f*). Et in regno Apuliæ sub Regibus Andegavensibus, qui Sedi Apostolicæ erant addicti, etiam judicum suspiciones apud Episcopos tractabantur; idque à Regina Joanna II. confirmatum est (*a*), & in posterioribus legibus cautum etiam reperitur (*b*); primusque Petrus de Toleto, dum vice regia imperabat, civili foro magistratuum suspiciones restituit, quod Petrus Follerius testatur (*c*).

(*a*) Cap. 26 ext. de V. S.
(*b*) Cap. 15. ext. de Foro compet.
(*c*) Thomass. part. 2. lib. 3. cap. 87. & seq.
(*d*) Novel. LXXXVI. cap. 1. & seq.
(*e*) Cap. 6. 10. 11. & 15 ext. de Foro compet.
(*f*) Conf. Loyseau des Seigneur. & judic. ecclesiastiq. chap. 15., & Rovit. in pragm. 2. & 3. de Suspic. official.

Episcopi quæstionum juris sibi tribuunt definitionem.

§. XVIII. Nec tantum Episcopi causas ferme omnes laicorum jurisdictioni suæ variis nominibus adseruerunt; verum etiam ubi jus ipsum esset controversum, sive ecclesiasticum, sive civile, potestatis suæ esse contendebant, controversiam definire: cui innovationi inducendæ Innocentius III. celebri rescripto occasionem dedisse videtur (*a*). Nimirum Innocentius ubi ait, se à Philippo Rege Francorum requisitum, ejus filios, qui minus legitimi videri poterant, natalibus restituisse, addit Sedis Apostolicæ esse definire, si quid in negotiis ecclesiasticis, civilibus, aut criminalibus difficile & ambiguum emerserit: idque præsertim probat adducto Deuteronomii loco, quo decernitur, res ambiguas de sanguine, lepra & causa, idest de quæstione criminali, civili & de ritibus solvendas in loco, quem Dominus elegerit, à Sacerdotibus Levitici generis & à judice, qui fuerat illo tempore (*e*): quem locum satis mystica interpretatione ad Sedem Apostolicam accommodat; nec enim quæ ad gentis judaicæ politiam pertinebant, recte ad Christi Ecclesiam trahuntur. Jus autem hoc juris controversias decidendi ex sententia Petri de Marca tum Innocentius Sedi Apostolicæ vindicavit, si à summis Principibus Pontifex consuleretur; non item si privati alienæ jurisdictioni subjecti ad Sedem Apostolicam controversias deferrent (*f*): quæ observatio nescio an vera sit. Constat enim, summos Pontifices à privatis de rebus civilibus consultos difficiles juris nodos extricasse. Certum interim est, jus res arduas & ambiguas definiendi tantum Sedi Apostolicæ Innocentium adseruisse; at decretalium interpretes eam doctrinam latius produxerunt, docueruntque generaliter; si quid difficile & ambiguum in controversiis & litibus rerum humanarum accideret, id à judicibus ecclesiasticis dirimi debere.

Causæ omnes laicorum civiles ad Episcopos devolutæ.

§. XIX. His aliisque rationibus in omnibus ferme laicorum causis ecclesiastici tanquam judices competentes sederunt. *Inde*, inquit Mornacius (*g*), *emicuit per longas ætates unum pene ac solum in univer-*

(*a*) Rit. 265.
(*b*) Prag. 9. de Ord. judic.
(*c*) Foller. addit. ad Marant. spec. aur. prax. civil. part. 4. dist. 11.
(*d*) Cap. *Per venerabilem* 13. ext. Qui filii sint legitimi.
(*e*) Deuter. XVII. 8. & seq.
(*f*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 2. c. 3. n. 5.
(*g*) Mornac. ad lib. 8. Cod. de Episc. audient.

versa Gallia forum ecclesiasticum, eviluitque toto illo tempore quasique emarcuit jurisdictio regia. Et merito quidem id speciatim de Gallia Mornacius observavit; nam si alibi, maxime in Gallia ad omnes ferme civiles causas ecclesiastica jurisdictio extensa est: Reges enim Galliæ secundæ stirpis tot beneficiis à Sede Apostolica aucti, & deinceps successores facile passi sunt in sibi subjectis provinciis supra modum ecclesiasticam jurisdictionem extendi. Similiter in regno Apuliæ sub regno Andegavensium mirum in modum extensa est ecclesiastica jurisdictio; Reges enim Andegavenses exemplo Regum Francorum, unde erant oriundi, & porro novis beneficiis à Sede Apostolica acceptis, non adeo curarunt regiam jurisdictionem, & æquo animo tulerunt illius deminutione ecclesiasticam augeri.

Ecclesiastica jurisdictio de causis civilibus laicorum desiit.

§. XX. Sed tandem in causis civilibus laicorum ecclesiastica jurisdictio ubique per Occidentem ferme omnis defecit, & eo unde absceserat, reversa est. Id commune est rebus omnibus humanis, ut à parvis initiis ad fastigium evadant; & tandem veluti senescentes sensim proprio pondere ruant. Sæculo XIII. in Gallia & deinceps in aliis provinciis cœperunt barones & magistratus sibi ereptam jurisdictionem vindicare (*a*), idque postea continuarunt. Hinc mutuæ inter magistratus & Episcopos querelæ, quæ tandem occasionem dederunt celebri illi disceptationi coram Philippo Valesio Rege Galliæ anno MCCCXXIX. habitæ inter Petrum Cugnerium, & Bertrandum Episcopum Ædvensem, quorum ille causam baronum & magistratuum, hic partes Episcoporum tuebatur (*b*), quamvis jurisdictio ecclesiastica nec recte impetita, nec recte defensa est juris publici, germanæ theologiæ & historiæ ignorantia, quod Fleuryus observat (*c*), & ex actis controversiæ constat. Interim Pontifices & Episcopi variis artibus uti, muneribus barones, eorum consanguineos beneficiis augere (*d*): interdum rationibus, sæpe minis & excommunicationibus frangere baronum, magistratuum & Regum constantiam. Quicumque vero fuerint conatus, tandem Regum edictis & tribunalium usu Episcopi causa ceciderunt, & civilis jurisdictio in laicos magistratibus restituta est; tantumque pauca vestigia in Belgio & aliquibus aliis regionibus supersunt (*e*). Quin veluti certa juris regula recepta, laicos non posse judicis ecclesiastici prorogare jurisdictionem, seu in judicem ecclesiasticum consentire, ejusque jurisdictioni sponte se submittere, quod in Gallia & Hispania obtinet (*f*). Vitio autem sibi vertant ecclesiastici, quod

(*a*) Conf. Espen. part. 3. tit. 1. cap. 2.
(*b*) Conf. Gerard. du Bois Hist. eccles. Paris. lib. 18. cap. 3. n. 10. & seq.
(*c*) Fleuryus discurs. 7. in Hist. eccles n. 14.
(*d*) Conf. Matth. Parisiens. ad an. MCCXLVI.
(*e*) Conf. Espen. loc. cit. tit. 11. cap. 2.
(*f*) Conf. Fevret. de Abus. lib. 4. cap. 6. n. 1., & Gonz. in c. 18. de Foro comp. n. 10.

quod civilem in laicos jurisdictionem amiserint; nam & contra concedentium mentem mire eam auxerunt, & præterea causas, quas ex bono & æquo & sine sumtu tractare oportebat, forensibus tricis implicuerunt, & verterunt in quæstum.

CAPUT III.

De jurisdictione ecclesiastica in causis civilibus Clericorum.

Clerici perfecti à litibus alieni.

§. I. Christiana perfectio id videtur postulare, ut fideles, qui eximiis divinæ gratiæ donis instructi ad fastigium charitatis contendunt, sua judicio non repetant, sed potius relinquant, & injuriam patiantur. Qui rebus cœlestibus & spiritualibus se penitus immergunt, terrena ferme despiciunt. Hæc à litibus alienatio Clericis propria videtur, qui cooptati in sortem Domini perfectionem christianam amplecti intelliguntur. *Decet* (Clericum) inquit Ambrosius (*a*), *esse benignum, non alieni cupidum, immo de suo jure cedentem potius aliqua, si fuerit lacessitus, quam aliena jura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem à jurgiis, redimentem concordiam & tranquillitatis gratiam.* Et quamvis rerum dominia cum sacerdotio non pugnent; tamen quando rerum temporalium occasione lites excitantur, ratio propriæ vocationis id exigere videtur, ut Clerici nec sua judiciis repetant, nec ab aliis provocati sua tueantur. *Episcopus*, inquit Synodus IV. Carthaginensis (*b*), *nec provocatus, pro rebus transitoriis litiget.* Quo etiam alter ejusdem Synodi Canon spectat, *discordantes Clericos Episcopus vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat* (*c*).

Ecclesia vult, ut Clerici judicio ecclesiastico litigent.

§. II. Hæc autem rerum terrenarum abjectio & litium devitatio eximiæ virtutis & perfectionis est, quam vix pauci Clericorum assequi potuerunt. Hinc dum rerum temporalium dominium Clericis relictum est, eis etiam per Canones indultum, ut sibi ablata repeterent, sed ecclesiastico judicio, non forensi. Et quidem Synodus Chalcedonensis pœnis canonicis subjecit Clericum, qui cum Clerico negotium habens, non prius adeat, Episcopum, apud quem lis agitetur, sed statim ad publica judicia excurrat (*d*). Et longe ante Synodus Carthaginensis III. accusationem, aut petitionem contra Clericos in Ecclesia propositam ecclesiastico judicio definiri voluit, graduque suo exturbavit Clericum, qui rejecto ec-

(*a*) Ambros. lib. 2. de Off. cap. 21.
(*b*) Conc. Carthag. IV. Can. XIX. ap. Gratian. Can. I. c. 14. q. 1.
(*c*) Can. I. D. 90.
(*d*) Conc. Chalced. Can. IX.

ecclesiastico judicio apud publicum judicem de crimine se purgari maluit, etiamsi innocens emerserit, rei vero in judicio civili evictæ amissionem indixit, si gradum suum vellet retinere (*a*). Male profecto de Ecclesia sentire videbatur Clericus, qui ejus judicio stare recusaret, dum accusator aut actor querelam, aut petitionem suam apud Episcopum deposuisset. Quod si Clerico actio contra laicum esset, tantum ex Episcopi concessione licebat magistratum adire. *Clericis*, inquit Synodus Venetica (*b*), *nisi ex permissu Episcoporum suorum, sæcularia judicia adire non liceat.* Et Synodus Agathensis (*c*): *ne Clericus quenquam præsumat apud sæcularem judicem Episcopo non permittente pulsare*, ut habet genuinus Canon apud Labbæum.

Clerici à jurisdictione magistratuum olim non exempti.

§. III. Regulæ istæ non ad ampliandam ecclesiasticam jurisdictionem, sed potius ad sanctiorem disciplinam promovendam spectabant, ut Clerici molestiis fori expediti melius altari deservirent: nec iis quidquam de jurisdictione magistratuum in Clericos deminutum est. Clericos, qui sunt cives à potestate magistratuum eximere, non erat Ecclesiæ, sed summorum imperantium (*d*). Hinc Canones tantum pœnis canonicis subjiciebant Clericos, qui contra alios Clericos apud publicos judices jus suum persequebantur, aut ecclesiastica judicia respuebant, nec unquam statuunt, ut Clerici à magistratu vocati non se sisterent, nec latas à magistratu sententias nullas dicunt. Et profecto si Clerici apud publicos judices in causis pecuniariis conveniebantur, debebant comparere: tantum in potestate erat actoris, utrum ecclesiastico an forensi judicio experiri mallet, quod Marciani Imperatoris legibus comprehensum est (*e*). Quin sequenti post Synodum Chalcedonensem anno Valentinianus III. vinculum compromissi videtur desiderasse, ut Clerici ad Episcopi audientiam vocari possent, sive actor Clericus, sive laicus foret (*f*): quam compromissi necessitatem mox Majorianus remisit ex sententia legum, quæ ante Valentinianum III. prodirant (*g*). Tantum per legem Leonis & Anthemii Clerici & Monachi in causis pecuniariis coram suæ provinciæ ordinariis magistratibus in jus debebant conveniri, ne ad peregrina judicia pergere coacti Ecclesias & monasteria relinquerent (*h*).

In

(*a*) Conc. Carthag. III. Can. IX. ap. Grat. Can. XLIII. c. 11. q. 1.
(*b*) Conc. Venetic. in Gallia Can. IX.
(*c*) Conc. Agath. Can. XXXII. tom. 4. Concil. ap. Labb.
(*d*) Conf. Espen. part 3. tit. 1. cap. 3
(*e*) L. 13. Cod. de Episc aud., l. 25. Cod. de Episc. & Cler.
(*f*) Valentinian. III. novel. XII. de Episc. judic. ad calc. C. Th.
(*g*) Conf. Franc. Florens tract. de Jurisd. eccles. in Can. I. & XLVI.
(*h*) L. 33. Cod. de Episc. & Cleric.

In civilibus fori privilegium Clericis datum.

§. IV. Hæc fuit methodus dirimendarum litium ad Clericos pertinentium usque ad Justinianum, qui primus in causis pecuniariis à magistratuum jurisdictione Monachos & Clericos exemit. Et initio quidem hic Imperator ex forma legum antecedentium statuit, ut pro arbitrio suo actor ecclesiastico, vel civili judicio Clericum conveniret (*a*). Tum Monialium & Monachorum causas ad Episcopos deferri jussit (*b*): & hinc abrogata est Leonis & Anthemii constitutio (*c*), quæ statuebat, Monachos & Clericos in jus extra proprias provincias non vocari, sed apud provinciarum suarum judicis ordinarios. Inde item Justinianus rogante Menna Patriarcha Constantinopolitano etiam Clericos à magistratuum civilium jurisdictione exemit, eosque apud proprios Episcopos sublata ferme judices electione jussit conveniri (*d*). Sed generale hoc privilegium non fuit, nam si ob causæ naturam aut aliam difficultatem Episcopus litem finire non poterat, tum licebat apud publicos judices Clericum convenire: *quod si aut propter causæ naturam, aut propter quandam forte difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tum licentia erit ad civiles judices pergere.* Et alia edita constitutione mox idem Justinianus à sententia Episcopi ad publicum judicem appellari permisit, sed ea moderatione, ut si judex appellatus sententiam Episcopi probasset, tum lata sententia executioni traderetur; nova vero daretur appellatio per juris ambages exercenda, si sententia judicis judicatis ab Episcopo adversaretur (*e*).

Ratio privilegii fori in re civili Clericis concessi.

§. V. Ratio autem, qua Justinianus Monachis & Clericis in causis pecuniariis fori privilegium concessit, hæc profecto fuit, ne illi litibus implicari & strepitu fori distracti à solitudine, aut altaris servitio avocarentur. Certe Imperator voluit ut Episcopi Monialium & Monachorum causas non tanquam judices ex formulis & strepitu fori, sed potius *honeste & sacerdotaliter* judicent, ut à contentione Monachi expediti, sine distractione Deo vacarent: idemque etiam habet in novella LXXXIII., quam Cujacius (*f*) ita contraxit, *Clerici actione pecuniaria committuntur coram Episcopo, qui litem finiat celerrime, sine sumptu & scriptura solemni.* Nimirum ex antiquis moribus ecclesiastica de pecuniis judicia exercebantur rejectis formulis & ambagibus fori, & Episcopi tanquam arbitri & pacis sequestres concordiam litigantibus instillabant, quod ex universa anti-

(*a*) L. 29. §. 4. Cod. de Episc. aud.
(*b*) Novel LXXIX. cap. 1. & 2.
(*c*) L. 33. Cod. de Episc. Conf. Cujac. in cit. novel.
(*d*) Novel. LXXXIII.
(*e*) Novel. CXXIII. cap. 21.
(*f*) Cujac. in novel. LXXIX.

tiquitate constat. Sed placet referre methodum, qua Augustinus lites Clericorum dirimebat; *si pueri isti servi Dei sunt*, inquit (*a*), *litem hanc inter illos cito finimus. Audio illos ut pater, & forte melius quam pater ipsorum. Videbo quid sit juris, sicut Deus voluerit, cum paucis fratribus fidelibus honoratis, Deo propitio, de numero vestro, idest de plebe ista. Audio inter illos causam, & sicut Deus donaverit, finio.* Sed temporis lapsu mutata est Episcopi audientia, & quæ causæ ex bono & æquo finiebantur, per juris ambages & non exiguos sumptus cœperunt agitari: quo factum, ut contra finem concedentis & antiquæ disciplinæ regulas Clerici privilegio utantur.

Fori privilegium confirmatur & augetur.

§. VI. Ita primum legibus Justiniani inductum est Monachorum & Clericorum in causis civilibus fori privilegium, quod lapsu temporis aliis Principum legibus, Synodorum Canonibus & Pontificum decretalibus confirmatum & auctum est. Equidem Pelagius I. Justiniano æqualis (seu potius Pelagius II.) generatim habet, ut laicus actor reum Clericum in episcopali foro, & vicissim Clericus actor laicum reum in foro civili conveniat, idque etiam esse ait ex principalium sanctionum auctoritate (*b*). Item Carolus M. edixit, ut *Clerici non distringantur, vel dijudicentur, nisi à propriis Episcopis* (*c*). Sed post sæculum X. Synodorum Canonibus & Pontificum decretalibus omnino constabilita est regula, Clericos in causis civilibus & criminalibus apud Episcopos esse conveniendos, sententias latas à sæculari judice contra Clericos, quamvis convictos & confessos irritas fore, tanquam à non suo judice latas, censura ecclesiastica plectendos judices, qui Clericos judicio suo stare compellerent, exceptis tantum feudalibus causis, quarum cognitio domino feudi reservata est (*d*). Canonibus & decretalibus vim addidit Fridericus II., qui statuit, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali, vel civili quæstione ad judicium sæculare trahere præsumeret: *quod si actor fecerit, suo jure cadat, judicatum non teneat, & judex ex tunc potestate judicandi privetur* (*e*). Quin in plerisque locis mos invaluit ut Clerici etiam laicos coram judice ecclesiastico convenirent ad vindicandam rem à laico possessam, licet eam esse suam laicus contenderet, quod Alexander III. testatur, qui ad extendendam ecclesiasticam jurisdictionem in specie, qua Clericus contra laicum agere tenetur, regulam, ut actor forum rei sequatur, *juris rigorem* appellat (*f*).

Spu-

(*a*) August. serm. XLIX. alias CCCLV. de Divers.
(*b*) Can XV. c. 11. q. 1.
(*c*) Capit. Reg. Franc. lib. 7. cap. 422.
(*d*) Conc. Lateran. III. Can XIV., cap. 4. ext. de Judic., cap. 6. & seq. ext. de Foro compet., cap. 2. de Foro compet. in 6.
(*e*) Auth. *Statuimus* Cod. de Episc. & Cleric.
(*f*) Cap. 5. ext. de Foro compet.

Spuria monumenta de foro civili Clericorum.

§. VII. Jam ut posterior disciplina cum antiquiori concineret, & ad fortius constabilienda Clericorum privilegia post sæculum VI. varia spuria prodierunt monumenta, aut genuina corrupta sunt, quibus longe ante civiles leges privilegium fori in re civili statutum exhibetur, aut ab Ecclesiæ auctoritate processisse. Et quidem sub Marcellini Papæ nomine habetur, *Clericum cujuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem judicem attrahere* (*a*). Item sub nomine Gelasii Papæ refertur apud Gratianum, Clericos in causis civilibus apud Episcopos judicari debere, *ut Ecclesiæ jura, quæ vetusti Principes assidua sanctione firmarunt, impetitis Clericis non negentur* (*b*). Tertio exeunte sæculo Marcellinus summus Pontifex creatus est; atque adeo sub ethnicis Principibus, quî poterat edicere, ne absque permissu Pontificis Clerici apud sæcularem judicem vocarentur? Gelasius quoque anno CCCCXCII. Pontifex creatus est, nec propterea dicere poterat, *vetustos Principes assidua sanctione* firmasse fori privilegium Clericis in causis civilibus concessum, quod longe post primus Justinianus indulsit. Et ut alia multa mittam, Canon XXXII. Synodi Agathensis anno DXVI. habitæ, statuit, *ne Clericus quenquam præsumat apud sæcularem judicem Episcopo non permittente pulsare*, quæ est genuina lectio apud Labbæum: contra apud Gratianum in alienum sensum detortus prostat: *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem Episcopo non permittente pulsare* (*c*). Genuinus Canon id habet, ne Clerici sine Episcopi venia apud judices suas lites deferant, quod à V. sæculi disciplina non recedit: contra corruptus Canon videtur velle, ab Ecclesiæ potestate esse, ne Clerici apud laicum judicem conveniantur.

Fori privilegium in re civili multis locis deminutum.

§. VIII. Sed labentibus annis in multis christianis provinciis, præsertim in Gallia & Belgio, Clericorum fori privilegium in causis civilibus pro maxima parte defecit, & passim Clerici in actionibus in rem apud laicos judices conveniuntur (*d*). Tantum in causis mere personalibus si Clericus reus sit, judex ecclesiasticus cognoscit: at ubi tant illum causæ in rem, vel mistæ occurrit, veluti in actione hypothecaria, Clerici etiam rei apud laicum judicem in jus vocantur: æque ac si agitur de implendis contractibus, qui coram regio notario initi sunt; ut enim observat Feuretius (*e*), ejusmodi contractibus in Gallia inseri consuevit formula, qua contrahen-

(*a*) Can. III c. 11. q. 1.
(*b*) Can. XIII. eod.
(*c*) Can. XVII. eod.
(*d*) Conf. Roussell. Hist. jurisd. pontificiæ lib. 4. cap. 4. & Damhouderus in Praxi civili cap. 33.
(*e*) Fevret. de Abusu lib. 4. cap. 6. n. 10.

hentes sponte sua ordinariæ & civili jurisdictioni se addicunt. Etenim in Gallia decretalium dispositio, qua vetatur Clericus fori privilegio abrenunciare, & judicis laici prorogare jurisdictionem, in causis civilibus usu sublata est, quod Mornacius testatur (*a*). Quo fit ut etiam in causis mere personalibus Clerici recte conveniantur coram judice laico, modo in id consentiant, alias petere possunt, ut ad forum ecclesiasticum ablegentur. Causa tantæ mutationis videtur repetenda à tricis forensibus, quæ in forum ecclesiasticum irrepserunt; quando enim methodus litigandi apud judices ecclesiasticos intricatior præ foro civili evaserat, quin & sumptibus affluens, è re sua esse perspexerunt Clerici, potius apud laicos, quam ecclesiasticos judices conveniri: & magistratus in multis articulis jurisdictionem vindicarunt suam, quando experientia innotuit *honeste & sacerdotaliter*, ut ait Justinianus (*b*), causas ab Episcopis non tractari.

Jure regni nostri qua forma constitutum.

§. IX. Quod vero spectat ad Siciliæ regnum, quo & Sicilia proprie sic dicta & Apulia diu comprehensæ sunt, sub Regibus Nortmannis & Suevis Clericorum fori privilegium in causis civilibus pro parte obtinuit. Etenim Clerici in actionibus in personam apud Episcopum, at in actionibus in rem conveniri debebant apud judicem sæcularem ejus loci ubi res sita erat, modo ex causa judicati in personam executio non fieret, quod Gulielmus I. Rex statuit (*c*), & inde Fridericus II. confirmavit (*d*). Quo tempore Regum nostrorum constitutiones conditæ sunt, causæ in foro ecclesiastico tricis forensibus agitabantur, ac proinde justum visum fuit Regibus nostris, Clericorum fori privilegium in causis pecuniariis ad solas actiones personales restringere. Confirmavit quidem Fridericus alia constitutione generaliter fori privilegium Clericis quæsitum ex forma legum imperialium & Canonum (*e*); at constitutio illa ex imperialibus fuit, nec ad Siciliam pertinuit. Inde regno ad Andegavenses translato fori privilegium extensum est, & exceptis causis feudalibus, Clerici & in causis civilibus & criminalibus foro ecclesiastico addicti sunt: quod jus pactis conventis investituræ à Clemente IV., Carolo I. datæ comprehensum deinceps Carolus II. ratum habuit (*f*). Parum videbatur Carolo magistratuum jurisdictionem in Clericos deminui, modo regnum, cujus erat appetentissimus, adquireret. Ita abrogatis regni constitutionibus, quas pragmatici juris publici & antiquitatis ignorantia veluti libertati ecclesias-

(*a*) Mornac. ad l. 4. de Pactis
(*b*) Novel. LXXIX. cap 1.
(*c*) Const. *Si quis Clericus* tit. de Clericis conveniend. pro possession.
(*d*) Const. *de Burgensaticis* tit. de Sacram. præst. à bajulis.
(*e*) Auth. *Statuimus* Cod. de Episc. & Cler.
(*f*) Cap. *Item statuimus* 94.

siasticæ adversas traduxerunt, deinceps in regno Apuliæ jus à Carolo II. confirmatum semper obtinuit, etsi moribus receptis plures species excipiantur, in quibus Clerici apud magistratum agunt & conveniuntur, qua de re inferius.

CAPUT IV.

De jurisdictione criminali ecclesiastica.

Civilis potestatis est crimina punire.

§. I. Potestatem criminum, quæ in civitate admittuntur, puniendorum inter jura majestatis censeri nemo unus ignorat. Nimirum quæ ad civium securitatem spectant, ea omnia summæ potestatis jura constituunt; ubi enim homines in civiles societates coaluerunt, simul emersit summum imperium, cujus auctoritate securi cives viverent, & quisque suo jure contentus aliena non invaderet. Pluribus vero modis civium securitas procuratur, inter quos procul dubio censeri debet potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos homines, seu potestas ad crimina debitis pœnis pro varia reipublicæ ratione vindicanda; pœnarum enim metu homines à criminibus admittendis deterrentur, & quisque in officio manet: qua ratione & ad læsi utilitatem & satisfactionem procurandam pœnæ in civitate receptæ sunt, quod Grotius pluribus illustrat (*a*). Et profecto vindictæ potius quam pœnæ civilis rationem habet, si ut nocentes cruciatus & tormenta sustineant, pœnæ tantum infligantur; ut enim observatum est viris sapientibus, homini non nocetur, quia peccavit, sed ne peccet; nec unquam ad præteritum, sed ad futurum pœna refertur, utpote quæ non irascitur, sed cavet (*b*). Quando itaque pœnæ ad civium securitatem infliguntur, dubio procul earum irrogandarum potestas tantum summo imperio cohæret: quod adeo verum est, ut in statu naturali pœnis sic proprie dictis vix locus esse possit (*c*), etsi triumviri doctissimi Grotius, Lockius & Barbeyracius etiam extra civitatem jus pœnarum infligendarum esse contendant.

Quicumque demum sit, qui delinquit.

§. II. Civilis vero potestas pro jure suo punit vindicatque crimina omnia, quisque demum sit, sive laicus, sive Clericus, qui delinquit; Clerici enim per domini sortem cives esse non desinunt. Et profecto Apostolus nullo facto personarum discrimine, civilis imperii esset docet criminum puniendorum potestatem. Ejus nimirum

(*a*) Grotius de I. B. ac P. lib. 2. cap. 20. §. 7. & seq.
(*b*) Plato de Legib lib. 11., Seneca de Ira lib. 2. cap. 31.
(*c*) Conf. Puffendorf. de Jur. Nat. & Gent. lib. 8. cap. 3. §. 7.

rum sententia est, omnem hominem jure divino subjectum esse civili potestati, quæ ex Dei ordinatione gladium portat, illumque in facinorosos omnes exercet. *Omnis anima*, hoc est, omnis homo, *potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo.... itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.... Dei enim Minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit* (*a*). Quibus verbis Apostolus aperte docet, jure divino ad civilem potestatem spectare jus criminum puniendorum, quisque demum sit, qui delinquit; loquitur enim de illa potestate, quæ gladium portat, & cui tributa penduntur. Apostolicæ doctrinæ consonant veteres Patres, qui tenent, Clericos omnes, etiam Episcopos, jure divino subjectos esse civili potestati. Instar omnium sit Chrysostomus (*b*), qui ex verbis Apostoli eam doctrinam proponit: *potestatibus ex debito obediri jubet* (Apostolus) *ostendens quod istæ imperentur omnibus, & Sacerdotibus & Monachis, non solum sæcularibus, id quod statim in ipso exordio declarat, quum dicit: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris, non enim pietatem evertit ista subjectio.* Veteribus consentit S. Bernardus, qui ex eadem Apostoli doctrina ipsum Archiepiscopum Senonensem civili potestati subjici concludit (*c*): *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: si omnis & vestra: quis vos excipit ab universitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.*

Ecclesia punit delicta in foro interno.

§. III. Hæc autem Principum in puniendis criminibus, quæ in civitate admittuntur, potestas nunquam fuit, nec est Ecclesiæ impedimento, quominus in foro interno delicta coerceat. Nimirum apud christianos forum internum & sacramentale Christus instituit, ut congruis pœnitentiis irrogatis iterum amissam per peccata innocentiam recuperare possimus. Verum nihil habet ejusmodi forum cum potestate Principum in puniendis criminibus, quum ad diversos fines dirigantur: illud scilicet ad salutem æternam: hæc vero ad civitatis securitatem. Hinc mira fuit per plura sæcula in puniendis criminibus sacerdotii & imperii concordia: primum reos damnabant civiles magistratus, si crimina erant civilia: tum damnatos Ecclesia pœnitentiæ subjiciebat. Primum sæculo IX. nonnulli reorum jactare cœperunt, *nil pertinere ad Episcopum, quæ à publico examinata dignoscuntur, & discussa*; at tantam audaciam Synodus Joannis Papæ, seu Trecassensis, seu Trecensis anno DCCCLXXII. repressit, quæ veteri disciplina confirmata, statuit, ut Episcopi in suis pa-

(*a*) Ad Rom. XIII. 1. & seq.
(*b*) Chrysost. hom. XXIII. in ep. ad Rom.
(*c*) S Bernard. ep. XLII. ad Archiep Senonens.

parœciis liberam haberent potestatem crimina omnia *inquirere, ulcisci & judicare secundum quod Canones censent absque impedimento alicujus* (*a*). Verba *secundum quod Canones censent* plane demonstrant Synodum tantum de foro pœnitentiali statuisse, Canones enim tantum pœnis canonicis, & in foro interno crimina puniebant. Et profecto toto cœlo errat Gonzalez (*b*), qui Canonem Trecensem ita interpretatur, quasi licuerit Episcopis crimina saltem misti fori etiam in foro externo, & pœnis civilibus vindicare.

Crimina Clericorum communia & ecclesiastica.

§. IV. Quoniam vero à ratione alienum videbatur, Clericos delinquentes publicis judiciis coerceri, pro pietate sua christiani Principes eos ab imperio magistratus exemerunt, eorumque delicta Episcopis commiserunt punienda: idque sensim factum est. Crimina Clericorum duplicis generis sunt, *communia*, nempe, seu *civilia* & *ecclesiastica*. Communia sunt, quæ Clerici committunt, tanquam cives, iisque publica tranquillitas in primis turbatur & evertitur, qualia homicidium, peculatus, adulterium, furtum. Ecclesiastica vero sunt, quæ directe contra religionem & ecclesiasticam disciplinam admittuntur, quæque pœnis canonicis vindicantur, qualia apostasia, hæresis, schisma, simonia. Ad communia crimina accedunt leviora vitia, quæ *morum* nomine veniunt, quæque licet quod spectant christianam sanctitatem gravia sunt, tamen in civitate levia existimantur, qualia erant ebrietas, alea, scortatus. Et quamvis veteri *de moribus* judicio, & leviores culpæ, & graviores venirent (*c*): tamen aperte Honorius Imperator inter crimina & mores distinguit, & nomine morum intelligit levia vitia, quæ *mediocres culpas* appellant (*d*).

Clerici in delictis ecclesiasticis à potestate civili exempti.

§. V. Jam vero christiani Imperatores in ecclesiasticis criminibus & in causa morum, seu delictis levioribus, Clericos in Synodis & ab Episcopis judicari & puniri voluerunt, non item in civilibus delictis gravioribus, quæ imperio ordinariorum judicum punienda reservarunt. Certe Valentinianus I. rescripsit, ut in causa fidei, vel ecclesiastici alicujus ordinis, aut si alias argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, Sacerdotes de Sacerdotibus judicarent, quod Ambrosius testatur (*e*): nam ejusmodi rescriptum in neutro codice prostat. Inde Gratianus eadem facta delictorum distinctione Clericos in causis ecclesiasticis & in judi-

(*a*) Cap. 1. ext. de Off. judic. ordin.
(*b*) Gonzal. in cit. cap. 1.
(*c*) Ulpian. Fragm. tit. 6. §. 12.
(*d*) L. 2. C. Th. de Repud.
(*e*) Ambros. ep. XXXII.

dicio de moribus Synodis addixit: at in delectis civilibus nihil de magistratuum in Clericos imperio deminuit: *ut si qua sunt ex quibusdam dissentionibus levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & à suæ diœceseos Synodis audiantur: exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariisque judicibus, aut illustribus potestatibus audientia* (seu potius *audienda*) *constituit* (*a*). Similiter sub nomine Theodosii M. statuitur, ut Clerici ab Episcopis judicentur, *quantum ad causas ecclesiasticas attinet, quas decet episcopali auctoritate decidi* (*b*): in quam eamdem sententiam Honorius & Valentinianus III. deinceps suas etiam dederunt leges (*c*). Hinc veluti constans regula sub christianis Imperatoribus diu obtinuit, Clericos in delictis ecclesiasticis & judicio de moribus censuræ ecclesiasticæ, in delictis vero civilibus imperio magistratus subesse. Quod si Constantius generatim statuerit, ut Episcopi apud alios Episcopos accusarentur (*d*), hæc lex non diu stetit, utpote quæ à sequentibus Principibus abrogata est: & porro potius tanquam laqueus, quam privilegium ab Ariano Principe paratus spectari debet, ut Episcopi catholici ab Arianis, qui hoc tempore in Synodis prævalebant, opprimerentur, quod Jac. Gothofredus recte observat (*e*).

Idque ex regulis christianæ religionis.

§. VI. Cæterum in ea parte, qua statuunt Imperatores ut in rebus fidei ad religionem pertinentibus, Episcopi judices sedeant, videntur potius confirmasse regulas ecclesiasticas, quam aliquid de novo statuisse, aut tribuisse; cognitio enim & judicium de rebus ad religionem spectantibus ex regulis christianæ religionis Episcoporum, non Principum est. Et profecto testatur Ambrosius (*f*), statuisse Valentinianum *in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis.* Et constitutio Theodosii M. nomen præferens, de causis ecclesiasticis ait: *quas decet episcopali auctoritate decidi* (*g*). Item Honorius habet: *quoties de religione agitur, Episcopos oportet judicare* (*h*). Quæ loca aperte probant, Imperatores christianos in causis ecclesiasticis nullam exemptionem concessisse, sed Ecclesiæ regulas potius confirmasse. Sed rem omnem conficit Ambrosius (*i*), qui ad Valentinianum Juniorem ita fatur: *quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopis judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdo-*

(*a*) L. 23. C. Th. de Episc.
(*b*) L. 3. de Episc. judicio ad calcem C. Th.
(*c*) L. 1. C. Th. de Religione, novel. XII. ad calcem C. Th.
(*d*) L. 12. C. Th. de Episc.
(*e*) Gothof. in cit. l. 12.
(*f*) Ambros. ep. XXXII.
(*g*) L. 3. de Episc. judicio ad calcem C. Th.
(*h*) L. 1. C. Th. de Religione.
(*i*) Ambros. ep. cit.

dotalis juris simus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc aliis putem esse credendum? Oportebat hanc observationem fecisse, ne ecclesiastici juris candidati imprudenter labantur, credantque, ab Imperatorum liberalitate processisse, quod Episcopi in causis ecclesiasticis judices sedeant.

Qui Justinianus delicta civilia Clericorum puniri voluit.

§. VII. Sed privilegium fori Clericis in causis criminalibus concessum, quando legibus Imperatorum crimina ecclesiastica & ex civilibus levia delicta complectebatur, sub Justiniano auctum est, aliamque formam induit. Quamvis enim Princeps iste primum ex sententia veterum legum fori exemptionem Clericis confirmarit (*a*); tamen inde veteres & suas leges egressus, Clericos amplioribus ornavit prærogativis. Et quidem Episcopos, qui speciali honore digni videbantur, in causis sive civilibus, sive criminalibus invitos ad judices publicos vetuit exhiberi (*b*). Quod vero spectat reliquos Clericos & Monachos, edixit, ut si coram Episcopo de civilibus criminibus primum accusentur, ab eo convicti deponantur, & tum illos judex publicus corripiat, & secundum leges in eos agat: si vero prius ad publicum judicem deferatur, tum judex gesta monumentorum omnia Episcopo communicet, quæ si Episcopus probaverit, reos gradu suo dejiciat, & tum judex illos pœnis debitis afficiat: at si gesta monumentorum Episcopus non probet, ad Imperatorem tam ab Episcopo, quam à judice referri voluit: *ut nos hoc cognoscentes, quæ nobis videantur, jubeamus* (*c*). Qua novella constitutione indulsit quidem Justinianus Clericis civilium criminum reis, ut à publicis judicibus improbante Episcopo non damnentur; at integram reliquit ipsius Principis in Clericos facinorosos potestatem.

Clerici nunquam subtracti à suprema imperii potestate.

§. VIII. Et profecto docent juris publici consulti, non posse summos imperantes omnino eximere aliquos ex civibus suprema imperii potestate, ita ut exempti cives nec ipsi summæ potestati subjiciantur. *Non potuerunt Principes*, inquit Barclajus (*d*), *nec adhuc possunt Clericos in suis regnis constitutos ea libertate donare, ne ipsi potestati sæculari subsint, neve delinquentes ab iis judicari, & puniri possint, nisi eadem opera se principatu & imperio abdicent; est enim proprium Principum & inseparabile animadvertere posse in delinquentes & omnia reipublicæ membra, cives, inquam, omnes pœnis & præmiis legitime gu-*

(*a*) Novel. LXXXIII. præf. §. 2. & cap. 1.
(*b*) Novel. CXXIII. cap. 8.
(*c*) Cit. novel. CXXIII. cap. 21.
(*d*) Barclajus de Potestate Papæ cap. 33., Conf. Sarpus in Considerationibus, & Rousell. in Hist. pontif. jurisd. lib. 4. cap. 3.

gubernare. Sane etiam post concessas immunitates & exemptiones Clerici manent cives, & unum corpus cum reliquis civibus componunt, ut proinde etiam subjecti sint oportet ei, qui cum summo imperio civitati præest, alias Princeps non esset Princeps, aut ipsi non cives. Hinc exemptiones omnes, quibus Clerici aucti sunt, etsi amplissimis formulis conceptæ, tantum ordinarios magistratus spectant, & salvo summi imperii jure intelliguntur. Et reapse non aliud sonant exemptiones, quam Clericos coram ordinariis magistratibus non esse conveniendos & accusandos: immo Justinianus, etsi alias Monachis & Clericis admodum faverit, aperte supremam imperii potestatem reliquit integram & intactam. Quo principio non possunt quidem de exemptis ordinarii magistratus pro jure suo cognoscere & judicare; at Principi semper integrum est, eorundem causas ad se trahere, & speciali delegatione magistratibus committere. Et inde etiam manavit hodiernus usus, quo in causis, quæ de competenti jurisdictione inter magistratus & Episcopos emerserint, suprema Principum auditoria cognoscunt, quod Espenius observat (*a*).

Clerici in omnibus criminibus imperio magistratus exempti.

§. IX. Jam vero post sæculi VI. medietatem, atque adeo post editas Justiniani novellas, in multis Occidentis provinciis tantum ex consensu aut scientia Episcopi licebat magistratibus in Clericos civilium criminum reos animadvertere, excommunicatione judicibus irrogata si contra quidquam attentassent: quam disciplinam Synodi Altisiodorensis anno DLXXVIII. & Parisiensis V. anno DCXV. proponunt (*b*). Sed tandem Clerici in omnibus jurisdictioni Episcoporum, exclusis publicis judicibus, addicti sunt: quod jus in capitularibus Regum Francorum continetur. *Ut Clerici ecclesiastici ordinis*, inquiunt capitularia, *si culpam incurrerint, apud ecclesiasticos judicentur* (*c*). Et alio loco: *nemo audeat Clericum, aut Monachum, vel Sanctimonialem feminam ad civilem judicem accusare, sed apud Episcopum* (*d*). Quin hac media ætate tanta fuit status clericalis dignitas, ut ex Regum perpetua indulgentia Clerici, & præsertim Episcopi, etiam in crimine læsæ Majestatis in Synodis judicari & puniri consueverint, quod multis Thomassinus & Alteserra tradunt (*e*). Ita semel inductum in criminibus Clericorum fori privilegium deinceps Synodorum Canonibus & Pontificum decretalibus confirmatum est, censuræ contra judices, qui pœnas de criminosis Clericis sumere auderent, irrogatæ, & vis omnis latis sententiis denegata (*f*). Accessit constitutio Friderici II., qua statuitur, *ut nullus ecclesiasticam per-*

so-

(*a*) Espen part. 3. tit. 3. cap. 1.
(*b*) Conc. Altisiod. Can. XLIII., Conc. Paris. V. Can. IV.
(*c*) Capit. lib. 1. cap. 28.
(*d*) Capit. lib. 5. cap. 21., Conf. Thomass. part. 2. lib. 3. cap. 108.
(*e*) Thomass. loc. cit. cap. 109., Alteser. de Jurisd. eccles. lib. 5. cap. 4.
(*f*) Conc. Lateran. III. Can. XIV., cap. 4. & 8. ext. de Judic.

sonam in criminali quæstione, vel civili trahere ad judicium sæculare præsumat contra constitutiones imperiales & canonicas sanctiones: quod si actor fecerit, jure suo cadat, judicatum non teneat; & judex ex tunc potestate judicandi privetur (*a*). Et ad fortius adserendas à magistratus potestate Clericorum exemptiones, posterioribus Synodis etiam id edicitur, tam jure divino, quam humano in Clericos nullam esse laicis potestatem (*b*).

Idque initio politiæ non adversum.

§. X. Illud hic paradoxum videri poterit, quî factum sit, ut Clerici in omnibus criminibus ab imperio magistratus eximerentur, & Episcopis & Synodis committerentur puniendi, quando Ecclesiæ non est pœnas atrociores irrogare, & sanguinem effundere. Videntur Principes non bene reipublicæ consuluisse, Clericis veluti impune delinquendi venia concessa. Sed re diligentius expensa, Clericorum fori privilegium in causis criminalibus forte ejus ætatis, qua concessum est, moribus non adversabatur. Nimirum apud gentes, quæ regionibus septentrionalibus egressæ, totum ferme Occidentem occuparunt, crimina ferme omnia multis seu pœnis pecuniariis, quas *compensationes* dicebant, solebant vindicari, & raro admodum sanguis effusus (*c*). Hinc leges multæ prodierunt, quibus satis minute compositiones in singulas injurias decernuntur, quod Montesquius observat (*d*). Receptos gentis suæ mores populi retinuerunt, etiam postquam Christum amplexi sunt: & hinc in capitularibus Regum Francorum decernuntur multæ, quibus homicidia Presbyterorum & laicorum, & alia immania facinora componuntur (*e*). Hac recepta inter populos miti pœnarum disciplina, Caroli M. & aliorum Regum beneficio Clerici criminum rei, exclusis judicibus publicis, suorum Episcoporum judicio puniendi addicti sunt: atque adeo nec receptæ politiæ, nec Ecclesiæ mansuetudini adversabatur, Episcopos de criminibus omnibus Clericorum judices sedere & pœnas irrogare. At, inquies, Ecclesia legibus Romanis vivebat etiam in provinciis, ubi populi propriis legibus utebantur: verum Ecclesia sanguinis pœnas jure Romano propositas mansuetudine sua obliteravit, & earum loco depositiones & pœnitentias supposuit: quod adeo verum est, ut sæculi leges ad Ecclesiæ mansuetudinem conformatæ sæpe sola publica pœnitentia, sæpe penis pecuniariis & pœnitentiis crimina vindicarint (*f*).

Cor-

(*a*) Auth. *Statuimus* Cod. de Episc. & Cleric.
(*b*) Conc. Lateran. V. sess. IX., Trid. sess. XXV. de Reform. cap. 20.
(*c*) Conf. Cangius. v. *Componere.*
(*d*) Montesq. lib. 30. cap. 19.
(*e*) Capit. lib. 3. cap. 25.
(*f*) Capit. lib. 6. cap. 90. & 96. Conf. Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 72.

Corrupta monumenta de privilegio fori in re criminali.

§. XI. Sed ne incauti tirones labantur, observare oportet, non defuisse falsarios, qui ubi recepta erat in causis criminalibus Clericorum exemptio, spuria monumenta consarcinarunt, aut genuina corruperunt, quibus tantum beneficium antiquissimum, & veluti ab Ecclesia acceptum adseritur. Ita recentiorem ætatem & putidas Mercatoris merces omnino sapit decretalis sub nomine Caji Papæ, *nemo unquam Episcopum apud judicem sæcularem, aut alios Clericos accusare præsumat* (*a*). Quî poterat sanctissimus & modestissimus Pontifex sub Diocletiano ethnico Principe & christianæ religionis infenso, veluti jure proprio ab imperio magistratus Clericos eximere? Item apud Gratianum corrupta exhibetur lex Theodosii M., qua statuitur, ne Clerici ad ordinarios judices in causis ecclesiasticis trahantur; expuncta enim sunt verba ista, *quantum ad causas ecclesiasticas attinet, quas decet episcopalia auctoritate decidi* (*b*), ut ita veluti ab ore tanti Principis illa doctrina exhiberetur, Clericos in omnibus causis à magistratus potestate exemptos, nihil cum publicis legibus habere commune. Et ut alia mittam, apud Gratianum & in decretalibus Canon IV. Synodi Parisiensis V., quo ex scientia Pontificis licebat magistratibus in Clericos civilium criminum reos animadvertere, corruptus prostat; verba enim *sine scientia Pontificis* ita mutata sunt *sine licentia Pontificis* (*c*), ut veluti ab Episcopi delegatione magistratus in Clericos potestas pendere videretur. Prostant hæc & alia hujus furfuris monumenta apud Gratianum: cumque post sæculum XII. tantum ex Gratiano & decretalibus à Gregorio IX. collectis interpretes saperent, inde doctrina illa, Clericorum exemptionem, præsertim in criminalibus, esse juris divini, atque adeo nulli laicæ constitutioni obnoxiam (*d*).

Privilegium fori in re criminali deminuitur.

§. XII. Privilegium fori in criminalibus ex forma capitularium & decretalium Clericis concessum integrum in multis provinciis non servatur, sed quatenus usu & publicis legibus receptum & probatum est. Tituli ecclesiastici post sæculum X. fere neglecta in ordinationibus necessitate, Clericorum numerus admodum crevit, tum Episcoporum in tondendis Clericis facilitate, tum laicorum ambitu, qui non sincera Ecclesiæ serviendi voluntate, sed ut sibi clericalibus privilegiis consulerent, Domini sortem inhiabant. Ergo male feriati Clerici passim immania crimina cœperunt admittere, & quidem impune; siquidem respublica pœnas sanguinis

(*a*) Can. V. c. 11. q. 1.
(*b*) Can. V. eod.
(*c*) Can. II. eod., cap. 2. ext. de Foro comp.
(*d*) Conf. Espen. part. 3. tit. 3. cap. 2.

nis aliasque corpus ipsum afficientes receperat; Ecclesia vero non amplius longas, & severas pœnitentias irrogabat. Sic mutata scena Episcopi pœnas sanguinis non poterant irrogare, & levibus contenti pœnitentiis raro Clericos criminosos magistratibus puniendos tradebant. Quin pœnæ addicti Clerici Romæ facili negotio non veniam tantum, sed & pristinum gradum, si qui dejecti essent, impetrabant, quod Fleuryus observat (*a*). Hinc exciti magistratus in Clericos graviorum criminum reos manus injicere, eosque pro merito punire. Contra Episcopi vindicarunt, & læsam Ecclesiæ libertatem inclamantes, communione christiana magistratus spoliarunt, integras civitates sacris interdixerunt: obsequium enim putabant præstare Deo, dum magis tuendis Clericorum immunitatibus, quæ ab jure divino profectæ censebantur, quam eorum vitiis puniendis invigilarent. At immoti magistratus steterunt, Principum accesserunt edicta, & privilegium fori etiam in criminalibus decrevit.

Quæ forma in Gallia & alibi obtinet.

§. XIII. Et profecto in Gallia fori privilegio non juvantur Clerici, si crimina admittant, quæ *privilegiata* Galli dicunt, cujusmodi habentur crimina atrociora, quæ directe ipsam rempublicam lædunt, veluti crimen læsæ Majestatis, falsæ monetæ, parricidium, homicidium data opera admissum, sodomia, raptus, crimen falsi, latrocinium, infractio tuitionis cuique à Principe concessæ, offensio illata magistratui officio suo fungenti & hujus generis alia. Privilegiatis opponuntur sic dicta crimina Clericorum *communia*, quæ ab judice ecclesiastico puniuntur, & ferme sunt ipsa delicta ecclesiastica & leviora delicta civilia. Graviora vero crimina Clericorum ideo in Gallia *privilegiata* audierunt, quia ubi ecclesiastici judices omnium criminum punitionem præscripserant, magistratus veluti ex Pontificis privilegio procedebant: contra ecclesiastica crimina dicta sunt *communia*, quasi quæ ex juris communis scitis vindicabantur. Initio magistratus veluti jure proprio in Clericos privilegiarii criminis reos videntur animadvertisse; at ubi moribus eorum convaluit imperium, magistratus ad illud tuendum de privilegio cogitarunt; nec enim ubi fori privilegium Ecclesiæ insitum & proprium credebatur, iis licebat alias tantisper Clericorum exemptionem deminuere. Post edictum Melodunense an. MDLXXX. misto quodam judicio magistratus & ecclesiastici judices in casibus privilegiariis processerunt; at tandem in criminibus atrocioribus soli magistratus exclusis ecclesiasticis cœperunt judicare, si Rousellius vera narrat (*b*). Addit vero Fleuryus, judices regios raro ad judicem ecclesiasticum remittere in casibus, quibus corporeæ

(*a*) Fleuryus Inst. juris eccles. part. 3. cap. 14.
(*b*) Roussell. Hist. jurisdict. pontif. lib. 4. cap. 3. n. 34.

reæ pœnæ locus esse possit (*a*). Similiter in Belgio & in Hispania nonnulla Clericorum crimina censentur privilegiaria, teste Espenio (*b*), & in Venetorum republica levia tantum Clericorum delicta judicio ecclesiasticorum committuntur (*c*).

Leges regni de foro criminali Clericorum.

§. XIV. Nunc videamus oportet, qui modus per regni nostri leges Clericorum in criminalibus exemptioni datus sit. Principio statuit Gulielmus II. Rex, ut Clerici in omnibus criminibus in foro Ecclesiæ judicentur secundum jus ecclesiasticum, præterquam si perduellionis aut alio crimine quod majestatem spectat, rei sint, *excepto si de perduellione aliquis fuerit appellatus, vel de alio magno hujusmodi maleficio, quod spectat ad majestatem* (*d*). Inde Carolus II. Andegavensis edixit, ut Clerici, exceptis causis feudalibus, in omnibus causis, sive criminalibus, sive civilibus coram judice ecclesiastico accusentur & conveniantur (*e*). Ampla quidem exemptio; at non videtur abrogata Gulielmi constitutio, qua in crimine majestatis Clerici judicibus publicis addicuntur. Nec audiendi sunt Andreas de Isernia & Matthæus Afflictus, qui non solum docent, Clericos in crimine majestatis à magistratuum imperio exemptos esse; verum etiam eos utpote civili potestati minime subjectos (nova profecto theologia, novum jus publicum) crimen majestatis admittere non posse. Sane qua demum cunque generali formula exemptio concipiatur, crimen majestatis non complectitur: non enim videtur Princeps ei concessisse privilegium, qui contra majestatem committit; sunt enim nonnulla scelera, quæ omnem honorem excludunt (*f*), & in causa majestatis omnibus æque conditio est (*g*). Ita per leges nostras constituta Clericorum exemptio deinceps semper stetit, nec apud nos ulla sunt privilegiaria crimina, in quibus Clerici fori privilegio ceciderunt: Reges enim nostri non qua opus erat vi abusiones ab ecclesiasticis inductas eliminarunt.

CA-

(*a*) Fleuryus Inst. jur. eccles. lib. 3. cap. 14. Gallic. edit.
(*b*) Espen part. 3. tit. 3. cap. 2.
(*c*) Conf. Sarpus in Considerationib.
(*d*) Const. *de Personis* tit. Ubi Clericus in maleficiis debeat conveniri.
(*e*) Cap. *Item statuimus* 94. tit. de non trahendis Clericis.
(*f*) L. 1. C. Ubi Senatores.
(*g*) L. 4. C. ad l. Jul. majest.

CAPUT V.

Qui Clerici & Monachi fori privilegio utantur, & utrum illud possint ejurare.

Clerici omnes & Monachi olim fori privilegio aucti.

§. I. Ex veteris disciplinæ regulis Clerici omnes, sive majores, sive minores, etiam qui sine ordine erant in Canone, item Monachi & monastriæ fori utebantur privilegio. Certe Justinianus Sanctimoniales & Monachos, itemque Clericos apud proprios Episcopos in causis pecuniariis voluit conveniri (*a*), & inter Clericos fori privilegio auctos accenset Diaconissas (*b*), quæ officio potius quam ordine inter Clericos erant relatæ. Et Synodus Parisiensis V. Clericis omnibus, quin & junioribus Ecclesiæ tribuit fori privilegium: *ut nullus judicum neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut juniores Ecclesiæ, sine permissu Pontificis per se distringere aut condemnare præsumat* (*c*). Apud Raymundum loco *juniores Ecclesiæ* legitur *minores* (*d*), sed genuina lectio est *juniores*, quam Gratianus etiam exhibet (*e*). Sed quinam erant *juniores Ecclesiæ*? Cangio videntur fuisse quivis Clerici post Hypodiaconos veluti lectores, exorcistæ, ostiarii, fossarii (*f*). Sed Clerici minores satis indicantur verbo generali *aut Clericum ullum*; vox enim *Clericus* Presbyteris & Diaconis opposita ad minores Clericos restringitur. Proprius ad Synodi Parisiensis mentem accedit Petrus de Marca (*g*), qui nomine juniorum Ecclesiæ homines Ecclesiæ addictos interpretatur; quam interpretationem adstruit Clotarii Regis edictum, quo Canones Parisienses confirmantur, ubi juniores Ecclesiæ *homines Ecclesiæ* dicuntur. Ipsi Clerici conjugati, etiam qui in ministerio suis utebantur uxoribus, fori privilegio tuti erant, eoque etiam usi sunt solius primæ tonsuræ Clerici, ubi in nova disciplina sine ullo ordine sola capillorum detonsione & habitus clericalis susceptione Clerici creari cœperunt.

Fori privilegium olim datum ob Ecclesiæ ministerium.

§. II. Generatim quidem Clerici in veteri disciplina à potestate judicum publicorum exempti erant; at id tum locum videtur habuisse, si Clerici Ecclesiæ, cui eos ordinatio adscripserat, deser-

(*a*) Novel. LXXIX. & novel. LXXXIII.
(*b*) Novel. CXXIII. cap. 21.
(*c*) Conc. Paris. Can. IV.
(*d*) Cap. 2. ext. de Foro comp.
(*e*) Can. XI. c. 11. q. 1.
(*f*) Cang v. *Juniores*.
(*g*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 22.

servirent, quod ipse Fagnanus agnoscit (*a*). Sane Justinianus Clericos omnes in causis pecuniariis apud Episcopos conveniri voluit, ne *à sacris amoveantur obsequiis* (*b*). Et generatim Clericorum personales immunitates potius ob juge Ecclesiæ ministerium, quam ob ordinis dignitatem & characterem concessæ sunt, *ne sacrilego livore quorundam à divinis obsequiis avocentur*, ut Constantinus M. expressit (*c*). Quin Synodus Toletana I. edicit, Clericum, qui in civitate aut alio loco sit, ubi est Ecclesia, & *ad sacrificium quotidianum non accesserit*, inter Clericos non haberi (*d*). Item Justinianus extra Clerum constitui jussit Clericos, qui *inventi non fuerint inculpato in liturgiis perseverantes* (*e*). Quod si Canones, qui de fori privilegio loquuntur, nihil habent de Ecclesiæ ministerio, id factum est, quia vetus disciplina Clericos omnes Ecclesiæ servitiis addicebat, ac tantundem erat dicere Clericos ac altaris & Ecclesiæ Ministros. Hinc per leges civiles qui abjecta clericali vita ad sæcularem vel militarem transiret, prout natales aut facultates erant, vel curiæ seu senatui patriæ suæ, vel ordini suo sociabatur, *ut liber illi ultra ad Ecclesiam recursus esse non possit* (*f*): quod argumento est clericatus desertorem privilegiis omnibus cecidisse.

Inde datum reputari cœpit ob ordinis characterem.

§. III. Sed lapsu temporis fori privilegium, præsertim in criminalibus, quod non secus ac reliqua personalia privilegia, ob Ecclesiæ ministerium concessum fuerat, ob ipsius clericatus dignitatem & ordinis characterem Clericis datum reputari cœpit. Sæculo IX. Gallicani Episcopi Ludovicum Pium exorarunt, ut ob ordinis dignitatem & reverentiam Clericis debitam Ebbonem Archiepiscopum Rhemensem majestatis reum Synodi judicio puniendum dimitteret (*g*). At ubi post sæculum X. sine beneficio passim Clerici creati sunt, doctrina illa generatim invalescere cœpit, Clericorum fori privilegium à vi ipsa ordinis, quæ eos veluti sacros & à reliquis hominibus secretos efficiebat, pendere. Et ut nemo à clericalibus privilegiis excluderetur, circa sæculum XIII. docere cœperunt decretalium interpretes, primam tonsuram esse ordinem, & characterem imprimere, ut ita attonsi omnes omnino sacri & Ecclesiæ foro addicti censerentur (*h*). Qua recepta doctrina etiam conclusum est, omnes Clericos fori privilegio gaudere, etsi nulli Ecclesiæ deservirent, nec habitum & tonsuram clericalem gererent. Cer-

(*a*) Fagnan. ad cap. *Si quis Clericus* ext. de Foro comp.
(*b*) Novel. LXXXIII.
(*c*) L. 2. C. Th. de Episc. & Cleric.
(*d*) Conc. Tolet. I. Can. V.
(*e*) L. 42. §. 10. Cod. de Episc.
(*f*) L. 39. C. Th. de Episc., l. 53. Cod. eod.
(*g*) Ap. Hinc. Rhemens. contra Gothoscalcum cap. 36.
(*h*) Conf. Espen. part. 3. tit. 3. cap. 3.

Certe Petrus Cugnerius queritur, officiales Prælatorum per censuras compellere magistratus ad restituendos graviorum criminum reos, qui habitum & tonsuram clericalem non deferentes se Clericos dicerent: cui articulo respondit Bertrandus Episcopus Æduensis, clericatum ipsum Clericis privilegium conciliare, nec tonsuram, & vestes clericales requiri (*a*). Et Bonifacius VIII. docet, privilegium fori à quovis Clerico, qui suum probaret clericatum seu ordinationem, per habitus & vitæ clericalis desertionem non amitti (*b*). Inde illud receptum est, Clericos etiam excommunicatos & depositos fori privilegium retinere, quod priusquam solemniter degradentur sub Episcopi jurisdictione perseverant.

Canon Tridentinus de fori privilegio.

§. IV. Hoc jure ferme viximus usque ad comitia Tridentina, ubi, saltem ex parte, Ecclesiæ disciplina restituta est. Etenim de Clericis minoribus non conjugatis statutum, ut tum demum gaudeant fori privilegio, si beneficium habeant ecclesiasticum, aut clericalem habitum & tonsuram gerentes, de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inserviant vel in seminario aut aliqua schola, vel universitate resideant, quo se suscipiendis sacris ordinibus aptare & effingere studeant (*c*). Quo decreto Patres in Clericis minoribus non beneficiariis aperte habitum & tonsuram clericalem & Ecclesiæ ministerium requirunt, quo privilegium fori retineant, non item ubi agunt de beneficiariis. Hinc recepta sententia, etiam per S. Congregationem probata, Clericum beneficiarium gaudere fori privilegio, etsi nec habitum nec tonsuram deferat, nec Ecclesiæ deserviat. Sed haud scio num doctrina ista sententiæ Patrum conveniat; illi enim de Clericis beneficiariis agentes ministerii clericalis & habitus non videntur meminisse, quod maxime eorum erat Ecclesiæ deservire (beneficium datur propter officium), & habitum & tonsuram clericalem usurpare. Quidquid vero hujus rei sit, apud nos etiam Clericis beneficiariis opus est Ecclesiæ deservire & habitum clericalem deferre ut fori privilegio utantur, quod litteris Regis nostri VIII. idus Septembris anno CIↃIↃCCLX. ad Cameram Regalem comprehensum est. Quod si Clericus sine mandato Episcopi Ecclesiæ deserviat, aut sine ejusdem licentia in aliqua universitate in studia literarum incumbat, placuit fori privilegio etiam locum esse, quod etiam sine Episcopi venia aut mandato Synodi finis obtineatur (*d*). Ut vero facile constet, qui foro privilegio utantur, apud nos pactis conventis placuit, in secretario Ecclesiæ cathedralis palam haberi album, seu matriculam, ubi primo ton-

(*a*) Libel. P. Bertrandi art. 30 tom. 4. Biblioth. Patrum.
(*b*) Cap. 12. de sent. excom. in 6.
(*c*) Trid. sess. XXIII. de Ref. c. 6.
(*d*) Ap. Fagnan. ad cap. 1. ext. de foro comp. n. 22.

tonsuræ & Clericorum minorum nomina quotannis describantur, qui ex regulis canonicis vixisse ostenderint; contra deleantur, qui alia omnia egerint, singulosque Clericos quotannis à suo Antistite gratis accipere litteras declaraturas, illos eo anno clericalem vitam vixisse, ut possint absque ulla contentione omnibus privilegiis clericalibus gaudere (*a*).

De fori privilegio, quo utuntur Clerici conjugati.

§. V. Quamvis autem in veteri disciplina etiam in Occidente Clerici conjugati, qui scilicet ante aut post susceptos minores ordines nuptiis illigantur, omnibus clericalibus privilegiis uterentur, & Ecclesiæ redditibus viverent; tamen post sæculum XI. omnibus clericalibus privilegiis spoliati sunt, & inhabiles facti ad retinenda & obtinenda beneficia (*b*). Ea tempestate qua supra modum Clericorum libertates promovebantur, conjugati privilegia perdiderunt sua. Nimirum tum Clerici omnes majores, minores luto incontinentiæ erant conspurcati, eorumque alii nuptias inibant, alii alebant concubinas. Ergo Ecclesia ad disciplinam instaurandam conjugatos ferme omnibus privilegiis spoliavit (*c*), ut ita indicaretur, sacrorum ordinum sanctimoniam cum conjugali vita coalescere non posse. Deinceps vero redintegrato clericalis cœlibatus vigore, humanius cum Clericis conjugatis agi cœpit, & ex parte eis clericalia privilegia restituta sunt. Sane Bonifacius VIII. eis dedit, ne propter crimina criminaliter aut civiliter apud magistratus conveniantur, modo unicam & virginem duxerint, & habitum & tonsuram gererent (*d*): quod privilegium Apuliæ Reges confirmarunt (*e*). Sed Tridentini Patres idem privilegium adserentes id voluerunt, ut conjugati jussu Episcopi alicui Ecclesiæ addicantur (*f*). Tandem in hoc regno pactis conventis placuit, conjugatos Clericos, non item eorum uxores aut filios, in solis criminalibus causis, quæ criminaliter aguntur, esse episcopalis fori, modo vivant ex regulis Tridentinis, artibus abstineant, quæ dedecent Clericos, & singulis annis apud loci Episcopum se clericalem vitam vixisse demonstrent; in cæteris vero causis conveniri apud magistratum, et hunc tantum super bonis sententiam exequi; & si id vetet reorum inopia, ad capturam etiam procedere, petita tamen prius ab judice ecclesiastico venia, quæ omnino danda est (*g*).

An

(*a*) Concord. cap. 4. n. 8.
(*b*) Conf. Thomass. part. 1. lib. 2. c. 56.
(*c*) Cap. 7. ext. de Cleric. conjug.
(*d*) Cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.
(*e*) Prag. 1. de Cleric. seu Diaconis silvaticis.
(*f*) Trid. sess. XXIII. de Ref. c. 6.
(*g*) Concord. c. 3. n. 2.

An novitii, oblati & tertiarii *gaudent fori privilegio.*

§. VI. Jam ex regulis juris canonici privilegio fori, quo aucti sunt regulares & moniales, etiam alii censentur, qui regulares vere non sunt, sed ad eos accedunt. Tales habentur tirones vitæ monasticæ seu novitii, quousque in tirocinio perseverant; quamvis enim vere regulares non sint, tamen censentur personæ ecclesiasticæ, & Canonis privilegio gaudent (*a*). Item ad Ecclesiæ forum pertinent veri *oblati*, qui se & sua omnia alicui monasterio tradunt, & veste religiosa induti spondent conceptis verbis, sed sine votis, se sub obedientia regularium superiorum victuros (*b*); oblati enim hujusmodi quam proxime accedunt ad Monachos, & religiosam *fraternitatem* Innocentio III. assumere dicuntur (*c*). Fratres quoque tertii Ordinis, qui *tertiarii*, *mantellati* & *corrigiati* audiunt, utuntur etiam sui ordinis privilegiis, si viri in claustro cum aliis vivant, mulieres vero si castitatem expresso voto profiteantur: quod Synodus Lateranensis sub Leone X. rejectis doctorum opinionibus statuit (*d*). Porro servientes seu quocunque alio nomine militiis, seu monasteriis, seu collegiis addicti fori privilegio aucti sunt (*e*). Cæterum apud nos jure novissimo fori privilegio tantum gaudent religiosi, qui religioso habitu utentes vitam communem sub disciplina & obedientia regulari vivunt, aut extra monasterium degentes, superiorum suorum mandata obeunt (*f*). Hinc nec moniales domesticæ, quæ in propriis domibus cum parentibus & consanguineis habitant, vulgo *bizochæ*, nec qui in veste eremetica Ecclesiis serviunt, fori privilegio, aut cæteris religiosorum immunitatibus fruuntur.

Clerici silvatici non habent fori privilegium.

§. VIII. Nec tantum Clerici, sive cœlibes, sive mariti aucti sunt fori privilegio, verum etiam illud prudentum, seu potius imprudentum interpretatione, licet controversa, ad sic vulgo dictos *Clericos* seu *Diaconos silvaticos*, & Clericorum familiam productum est. Clerici seu Diaconi *silvatici* non solum dicebantur veri Clerici vitæ clericalis desertores, verum etiam qui nulla tonsura initiati vestem clericalem aut eremeticam induebant, & alicui Ecclesiæ urbanæ seu capellis suburbanis inserviebant. Diaconi isti etiam *falsi Clerici* audiebant, præsertim qui vitam clericalem deseruissent. Magno erant numero apud nos Diaconi silvatici in vitæ clericalis opprobrium & reipublicæ perniciem. Ergo Ferdinandus I. Aragonius edita pragma-

(*a*) Conf. Fagnan. ad cap. *Nullus* ext. de Foro comp. n. 49.
(*b*) Cap. 3. ext. de Privileg., Trid. sess. XXIV. de Ref. c. 11.
(*c*) Cap 24. ext. eod.
(*d*) Conc. Later. sub Leone X. sess. XI.
(*e*) Trident. loc. cit.
(*f*) Concord. cap. 3. n. 1.

matica statuit, tantum Clericos, quamdiu in statu clericali & officio perseveraverint, ecclesiastica libertate & fori ecclesiastici privilegio gaudere, cæteris exclusis, qui solo nomine Clerici & Diaconi essent (*a*). At S. Congregatio sub Gregorio XV. statuit, Diaconos silvaticos in locis, ubi recepti erant, permittendos, & canonis privilegio expertes, foro ecclesiastico gaudere in criminalibus causis & in civilibus, quod personalem *districtionem* spectat. Eremitæ, qui habitum religiosum ab Episcopo accipiebant, & alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviebant, foro episcopali subjecti censebantur, ad quem eos Benedictus XIV. etiam pertinere docet (*b*). Sed apud nos pactis conventis Diaconi silvatici cujuscunque generis sint, etiam qui in veste clericali aut eremitica Ecclesiis aut capellis inserviunt, fori privilegio non utuntur, & oneribus omnibus etiam personalibus subjacent (*c*).

Familia Clericorum & Episcopi an habet fori privilegium?

§. IX. Familia quoque Clericorum, veluti uxor, filii, famuli, etiam concubinæ, ex multorum interpretum doctrina fori ecclesiastici privilegio gaudebat, eorumque rationes Fagnanus expendit (*d*). Episcoporum vero familiæ laicæ, quæ varia officia complectebatur veluti cancellarios, scribas, domesticos, cursores, interpretes ferme omnes fori privilegium dederunt, quod Pontificum decretalibus convenire videtur (*e*). At in hoc regno pactis conventis fori privilegium ad familiam & uxores Clericorum non extenditur, & Episcopi laica familia admodum restricta utitur exemptione. Etenim tantum familia armata, quæ certo & definito constat *cursorum* numero, & unus cancellarius seu actorum magister, quousque in ministerio sunt, in causis civilibus, mistis & criminalibus, quod spectat personalem *restrictionem*, ab imperio magistratuum eximuntur; nisi ea causa sit, ut pœna mortis aut triremium jure statui in eos possit: quo casu tantum regiarum curiarum, quæ viciniores sunt, seu aliorum judicum, ut Regi placuerit, in eos jurisdictio est: officiales vero baronales tantum delinquentes pos unt carceri mancipare, & regios magistratus, qui judicare debent, ea de re facere certiores (*f*).

Clerici minores qui amittunt fori privilegium.

§. X. Jure decretalium Clerici minores, qui habitum vitamque clericalem abjicerent, fori privilegio non excidebant, nisi ter admo-

(*a*) Pragm. IV. de Cleric. & Diac. silvat.
(*b*) Bened. XIV. de Synodo diœc. lib. 6. c. 3.
(*c*) Concord. loc. cit.
(*d*) Fagnan. ad cap. *nullus II.* ext. de foro comp.
(*e*) Cap. ult. ext. de offic. Archid.
(*f*) Concord. cap. 3. n. 5. & seqq.
(*g*) Cap. ult. ext. de vit. & honest. Cler., cap. 44. ext. de sent. excomm.

moniti in statu laicali persisterent (*g*): quod jus Ferdinandus Aragonius apud nos confirmavit (*a*). Sed deinceps distinctum est inter minores Clericos beneficiarios, & non beneficiarios, receptumque est, illos servata judicii forma & monitione præmissa fori privilegio spoliandos, hos vero etiam nulla præmissa monitione ipso jure ob desertam vitam habitumque clericalem excidere: quod Innocentii XIII. & Benedicti XIII. decretalibus comprehensum est (*b*), quibus abrogata est Sixti V. bulla, qua statuebatur, Clericum beneficiarium habitu clericali & tonsura non utentem ipso facto sine ulla monitione & judicis decreto beneficium amittere (*c*). Quidquid vero hujus distinctionis sit, apud nos Regis nostri litteris ad Cameram regalem VIII. idus Septembris anno MDCCLX. etiam Clerici beneficiarii ipso jure cadunt fori privilegio, si ex legibus Tridentinis & pactorum conventorum forma non vivant. Cæterum ex doctorum sententia facto ipso amissum clericale privilegium tantum operatur, ut nequeat Clericis forum laicum declinare, non item privat Episcopum jurisdictione & facultate illum tamquam sibi subditum ad suum forum cogere & revocare, quod pluribus S. C. decisionibus definitum est (*d*). Ut enim Episcopus jurisdictione in Clericum vitæ clericalis desertorem cadat, eumque veluti contumacem privilegiis clericalibus privet, ex doctorum placitis sententia est necessaria, cui trina monitio ad clericalem vitam resumendam præmittenda est, nec una pro tribus sufficit (*e*).

An abjectus clericatus iterum suscipi potest?

§. XI. Liberum vero est Clerico minori, qui ipso jure fori privilegio cecidit, ad clericalem statum redire nedum inscio, sed etiam invito Episcopo: idque verum censebatur etiam in Clericis qui nomen dedissent militiæ sæculari & postea eam dimitterent (*f*). Quin nullæ & nullius ponderis habentur constitutiones synodales, quibus vetatur sine venia Episcopi iterum redire ad clericatum, & clericalibus privilegiis iterum augeri, quod sæpe S. Congregatio definivit. Iterum vero statu clericali sumto, clericalia privilegia ipso jure Clericis restitui doctoribus videntur, modo fraus dolusve non intercesserit. Fraus autem dolusve ab eo fieri Fagnano creditur, qui apud laicum judicem, sive civili, sive criminali judicio præventus, ad statum clericalem revertitur; manifesta enim præsumtio est id

(*a*) Pragm. II. de Cleric. & Diac. silvat.
(*b*) Innocent. XIII. bul. *apostolici ministerii*, Benedict. XIII. bul. in *supremo militantis*.
(*c*) Bul. *sacrosanctam* §. 3.
(*d*) Ap. Sperell. decis. XVII. n. 33. & 34., & Bened. XIV. de Syn. diœces. lib. 12. cap. 2. n. 4.
(*e*) Conf. Fagn. ad cap. *contingit* ext. de sent. excomm. n. 8.
(*f*) Conf. Panimol. decis. VI. annot. 6. n. 18. & seqq. Benedict. XIV. de Synod. diœc. lib. 12. cap. 3. n. 1.
(*g*) Fagn. ad cap. *magnus* de oblig. ad ratiœc. n. 73.

id fieri ad laicum judicem declinandum (*g*). Ita nulla fraus subesse putatur, si quis à judice laico non præventus habitum clericalem resumat, jure enim suo usus dicitur, etsi animum habuerit pro obligationibus antea initis forum ecclesiasticum sortiri. Quod si Clericus canonica judicis sententia clericalibus privilegiis dejectus sit, nihil ei proderit iterum habitum clericalem induere, nec propterea judicium sæculare poterit declinare (*a*). Interim apud nos post pacta conventa Clericis minoribus, qui vitam clericalem deseruerint, videtur negatum iterum pro arbitrio suo habitum clericalem suscipere; semel enim albo Clericorum secundum pacta conventa extrusi pro arbitrio restitui non posse videntur: dejectio enim ab albo Clericorum sententiæ privationis æquipollet.

Pœna in violatores fori clericalis.

§. XII. Quod si laici judices contra fori ecclesiastici formam Clericos in foro sæculari stare compellant, eorumque causas judicent, violatæ exemptionis clericalis rei sunt, sententia lata, veluti ab judice incompetenti dicta, nulla reputatur *cap.* 4. *ext. de Judic.* & ipsi magistratus pœnis canonicis obnoxii sunt. Pœna autem canonica ex sententia Synodi Parisiensis V. si magistratus *per se distringere aut condemnare præsumebant*, erat excommunicatio, qua Episcopus eos à corpore Christi, quousque culpam agnoscerent, & emendarent, abscindebat (*b*): quam etiam pœnam Synodus Matisconensis anno DLXXXI. celebrata proponit (*c*). Sed quî fieri protuit, ut sæculi sexti & septimi Canones magistratus violati fori ecclesiastici reos extra communionem abjiciant, quando ea ætate certum habebatur, totum id negotium ab auctoritate Principum pendere? Id factum est ex consensu & approbatione Regum, qui Synodos indicebant, & earum Canones edictis suis non sine modificationibus probabant: quod de Synodo Parisiensi constat (*d*). Et certe Gregorius M., qui tantum pontificia auctoritate fultus loquebatur, contra violatores clericalis fori nullam excommunicationem proponit, sed Clericos coram Episcopis conveniendos scribit, quod ita Justinianus edixerat, *sicut novella constitutio manifestat* (*e*). At temporis lapsu Synodi & Pontifices veluti jure proprio contra magistratus, qui Clericis ad sæcularia judicia cogebant, excommunicationem indixerunt (*f*): quæ quidem excommunicatio ipso facto contrahi dicitur, si judex Clericum *personaliter distringat*, seu coerceat, non item si tantum condemnet (*g*).

Fo-

(*a*) Fagn. ad cap. *Cum contingit* ext. de Sent. excomm. n. 8.
(*b*) Conc. Paris. V. Can. IV. apud Grat. Can. II. c. 11. q. 1.
(*c*) Conc. Matisc. I. Can. VII.
(*d*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 7. c. 22.
(*e*) Can. XXXVIII. c. 11. q. 1.
(*f*) Conc. Later. III. Can. XIV.
(*g*) Conf. Fagn. ad cap. *Nullus* 2. ext. de Foro comp.

Fori privilegio amisso an reliqua privilegia amittuntur?

§. XIII. Illud vero hic merito explicandum occurrit, num Clerici minores, sive cœlibes, sive conjugati una cum fori privilegio ob clericalis vitæ desertionem etiam reliqua clericalia privilegia, puta exemptionem à publicis oneribus, favorem capituli *Odoardus ext. de Solutionib.* & privilegium Canonis *si quis suadente diabolo* amittant. Cardinalis de Luca docet (*a*), eos omnium privilegiorum facere jacturam, ratus in fori privilegio tanquam præcipuo & maximo omnia comprehendi. Contra sentiunt alii, amissionem fori clericalis utpote odiosam & pœnalem, ad cætera clericalis ordinis privilegia non extendendam. Certe extant plures S. Congregationis Concilii decisiones, quibus Canonis privilegio Clericos, qui privilegium fori amittunt, non excidere decernitur. Et Fagnanus multis contendit, Synodi Tridentinæ decretum de amissione fori clericalis suas peculiares rationes habere, quæ Canonis privilegio non conveniunt (*b*). Quin monet Benedictus XIV. irritas esse diœcesanæ Synodi constitutiones, quæ sanxerint, Clericos in habitu & clericali tonsura non perseverantes omnibus clericalibus privilegiis spoliari (*c*). Sed scitum est, in nova disciplina sive S. Congregationem, sive doctores semper Clericorum privilegia late accepisse, eo nomine ecclesiasticam libertatem ampliare putantes. Interim mihi in compertis esse videtur, Clericos una cum fori privilegio etiam exemptionem à publicis muneribus & indictionibus amittere: exemptio enim à publicis muneribus concessa est, ne à cultu summæ divinitati debito abstraherentur.

Clericis olim in judicem laicum licebat consentire.

§. XIV. Jure veteri in causis temporalibus videtur Clericis licuisse in judicem laicum consentire, eumque sibi judicem constituere: non secus ac jure civili licebat litigantibus alieno judici consentire, & ejus proferre jurisdictionem. Certe Justinianus edixit valere conventionem ejus, qui in conscribendo instrumento paciscitur; se non *usurum fori præscriptione*, hoc est exceptione, *propter sacerdotii prærogativam* (*d*), idque ob regulam juris antiqui, qua omnibus licebat his, quæ pro se indulta sunt, renunciare. Lex ista potius gentium Sacerdotes, qui adhuc in multis provinciis superarant, veluti Phœniciarchas & Syriarchas, qui amplissimis donati erant prærogativis (*e*), quam christianos Sacerdotes spectavit: isti enim quo tempore lex lata est, nondum fori privilegium com-

me-

(*a*) Card. de Luca in addit. ad Conc. Trid. disc. XXIV. n. 33.
(*b*) Fagn. ad cap. *Si quis* 1. ext de Foro comp. n. 73.
(*c*) Benedict. XIV. de Syn. diœces. lib. 12. cap. 3. n. 3.
(*d*) L. 51. C. de Episc. & Cleric.
(*e*) Conf. Heinec. com. ad L. Jul. & Pap. lib. 2. cap. 3.

meruerant. At sententia legis etiam christianos Sacerdotes comprehendit, ubi eis Justinianus fori privilegium indulsit. Præterea idem Imperator vetuit, Episcopum *invitum* pro quavis lite, sive civili, sive criminali, ad magistratum compelli, nisi id Imperator jussisset (*a*): manifesto indicio potuisse Episcopum sponte sua judicis laici prorogare jurisdictionem, eumque sibi judicem constituere. Eo etiam facit, quod Canones ex Episcopi consensu permittunt magistratui Clericos punire & damnare (*b*). Quod si Canones Carthaginenses animadvertunt in Clericos, qui alios Clericos apud magistratus conveniebant, id non eo spectat, quod tum nulla esset in jus vocatio (nondum ab jurisdictione magistratus Clerici exempti erant), sed potius ad fovendam inter Clericos perfectionem, qui ex regulis ecclesiasticis apud Episcopum lites suas deferre tenebantur.

Jure decretalium vetitum Clericis fori privilegio renunciare.

§. XV. Verum labentibus annis id jus mutatum est, atque omnino vetitum Clericis etiam in causis temporalibus fori privilegio abrenunciare, & in judicem laicum consentire, nulliusque momenti renunciatio censetur, etsi jurato fiat: quod Innocentius III. rescripsit (*c*). Utitur in eam sententiam summus Pontifex duabus præsertim rationibus. Prima, privatorum pactis juri publico non recte renunciatur: atque adeo nulla habenda est fori renunciatio, quæ publici juris est. Altera, fori privilegium non personæ, sed statui seu collegio Clericorum concessum est; nec propterea licet Clericis privilegia collegio concessa pactis suis convellere, & in judicem laicum consentire. Interserit Canones Synodi Milevitanæ & Carthaginensis, quibus Clericis sæcularia tribunalia adire prohibetur. Milevitanus Canon ab Innocentio laudatus in Synodo Milevitana non extat, sed ad Synodum Toletanam III. pertinet (*d*), fraudique fuit summo Pontifici Gratianus, qui eum Canonem Concilio Milevitano tribuit (*e*). Cæterum jus ab Innocentio statutum statim in usum versum est, & multarum Synodorum decretis confirmatum: mediis enim sæculis certum habebatur, posse decretalibus Pontificum leges civiles abrogari; & præterea jus ab Innocentio statutum videbatur favere Clericorum prærogativis, quas Pontifices & interpretes fovebant & ampliabant. Tantum jure decretalium licet Clericis in ecclesiasticum judicem alias incompetentem ex venia proprii Episcopi consentire (*f*).

Quod

(*a*) Novel. CXXIII. cap. 8.
(*b*) Conc. Matisc. I. Can. VII. & seq., Conc. Parisiense V. Can. IV.
(*c*) Cap. 12. ext. de foro comp.
(*d*) Conc. Tolet. III. Can. XIII.
(*e*) Can. XLI. c. 11. q. 1.
(*f*) Cap. 18. ext. eod.

Quod Cujacius extra juris rationem statutum contendit.

§. XVI. Hæc nova juris decisio Cujacius, Struchio Vultejo, Fevretio aliisque parum arrisit, qui multis contendunt, Pontificem extra juris rationes constituisse, non posse Clericum fori privilegio abrenunciare, & in judicem laicum consentire (*a*). Principio adserunt, Clericum initio contractus fori privilegio renunciantem potius juri privato, quam publico renunciare; nam forum Clerici est proprium & privatum jus, quod habet ab initio contractus, ut in foro ecclesiastico conveniatur: privato autem juri recte renunciatur. Deinde jure civili Clerico licuit hæc renunciatio (*b*): & vetustiore jure ecclesiastico prohibita non fuit: igitur nec Innocentius debuit prohibere. Item juri publico nihil detrahit, qui se subjicit jurisdictioni judicis non sui suo dimisso (*c*). Ergo nec Clericus, qui fori præscriptioni renunciat. Nec quos fori privilegium universo ordini Clericorum datum sit, id Cujacium movet; nam etsi hoc verum habeat; tamen inde non sequi subjungit, non posse singulos in sua causa hoc privilegio non uti secundum fidem conventionis cum alio habitæ, quia nihil renunciatio officit totius ordinis privilegio, singulorum enim non eadem, quæ universitatis ratio est (*d*). Quod si Clericus extra contractum promittat, aut juret, se fori proscriptione non usurum, Cujacius agnoscit, pactionem esse contra jus publicum, quod in contractu, in quo obligationes & actiones formantur, privatum evadit.

Judicium de vetita fori renunciatione.

§. XVII. Sed summum Pontificem à Cujacii nota Cironius, Gonzalez aliique (*e*) strenue vindicant, nec eorum argumenta omnino contemni debent. Ipse ambarum partium expensis rationibus, tandem constitui, duo in hoc negotio esse distinguenda: unum, num ex principiis juris civilis summus Pontifex recte inhibuerit Clericis fori renunciationem: alterum, non pro jure suo poterat jus vetus abrogare. Et quidem vix videtur dubitandum, parum principiis juris Pontificis decisionem convenire. Nam esto fori privilegium ad jus publicum, quod privatorum pactis mutari non possit, pertineat; ejus juris renunciatio tum nulla est, si ipsa lex renunciationem non permittat, non item si illam concedat (*f*). Et in specie nostra ipsum jus publicum aperte fori renunciationem Clericis permittit (*g*): nec fo-

ri

(*a*) Conf. Cujac. in cit. cap. 12., & Vultejus in l. 1. C. de Jurisd. n. 117. & seqq.
(*b*) L. 29. C. de Pactis, l. 51. C. de Episc. & Cleric.
(*c*) L. 1. & 2. D. de Judic.
(*d*) L. 2. & 7. §. 1. D. Quod cujusque univers. nom.
(*e*) Ciron. ad tit. *de Pactis*, Gonzalez in cit. cap. 12.
(*f*) L. ult. §. ult. C. de Tempor. & reparat. appellat., Conf. Cujac. lib. 2. q. Papin. ad l. 88. D de Pactis.
(*g*) L. 51. C. de Episc. & Cleric., novel. CXXIII. cap. 8.

ri privilegium ab Justiniano Clericis datum laicos magistratus omnino inhabiles ad causas civiles Clericorum judicandas effecit. Vetant quidem Clericis veteres Canones, quos Innocentius laudat, sæcularia judicia adire; at illi spectabant ad fovendam inter Clericos perfectionem, qui ex regulis ecclesiasticis lites suas apud Episcopos deferre tenebantur; non vero aliquid de magistratuum in Clericos jurisdictione poterant deminuere, nec leges publicas, quibus licebat omnibus civibus consentire in alienum judicem, infringere. At saltem pro jure suo potuit Innocentius contra jus civile respondere, nullamque decernere fori renunciationem, quam Clerici fecissent. Id non videtur posse negari spectata ejus ætatis disciplina, qua Pontifices veluti proprio jure de fori privilegio statuebant, & leges civiles, quæ ecclesiasticæ libertati adversæ videbantur, abrogabant, aut restringebant. Hinc Innocentius rescripsit, non posse Clericos nec sacramento fori privilegio renunciare, & in judicem laicum consentire: & ut erat in jure civili versatus, inde, etsi parum concludentia, in rem suam argumenta deprompsit.

CAPUT VI.

De foro competenti.

Definitur forum competens.

§. I. Forum sive forus Romanis, & negotiationis & exercendarum litium locus fuit, qua de re multa habet Polletus (*a*), qui tamen non recte adfirmat, forum virilis generis latinum non esse; virile enim ejus vocis genus multis latinorum exemplis Cujacius adstruit (*b*). Dictum vero fuit forum à ferendo, quod eo loci & controversiæ judici definiendæ, & merces venales ferebantur, ut Varro observat: nec recte Isidorus vel à fando, vel à Phoroneo Rege, qui primus Græcis leges dedit, illud derivat (*c*). Erat locus satis amplus, constabatque area & basilicis, seu amplis ædificiis, quæ porticibus ad ambulationes cingebantur. Itaque forum ubi de judiciis agitur, est locus, in quo judicia agitantur, seu locus judiciorum, & hinc ubicunque intra fines suæ jurisdictionis magistratus jus dicit, forum constituit, quod Paulus jurisconsultus recte observat (*d*). Forum vero in judiciis est competens, si competat iis, qui eo controversias deferunt suas, atque adeo est forum judicis proprii, seu competentis, qui scilicet cognoscendi habet potestatem & in rem jurisdictionem.

An

(*a*) Pollet. in Histor. fori Roman. cap. 1. & seq.
(*b*) Cujac. in tit. Decretal. de Foro comp.
(*c*) Cap. 10. ext. de V. S.
(*d*) L. 11. D. de Just. & jur., l. ult. D. de Jurisd.

An Ecclesia in re civili forum habuit?

§. II. Ut vero constet quodnam sit Ecclesiæ forum proprium, videtur distinguendum inter causas civiles seu profanas, & spirituales. Quod spectat ad causas civiles, Ecclesia ex legibus, seu jure Romano forum & jurisdictionem non habet: quod Cujacius, Franciscus Florens aliique docent (*a*). Sane aperte Valentinianus III. affirmat, *Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere* (*b*): & in utroque Codice *episcopalis audientia*, & *episcopale judicium* tantum Episcopis conceditur, non jurisdictio. Porro jure Romano Episcopi non habent aliquam imperii partem, qua corporales pœnas infligere, & nolentes & invitos injecta manu prehendere possint: quin nec habent in causis civilibus rei judicatæ executionem, sed eorum sententias magistratus exequuntur (*c*): quod argumento est, & quidem maximo, Episcopos nec jurisdictionem nec forum habuisse; nulla enim est jurisdictio, quæ omni coactione destituitur. Hinc datis judicibus, qui non jurisdictionem, sed nudam notionem habebant, vel arbitris comparantur (*d*). Quæ quum ita sint, non recte Alteserra & Gagliardus noster, qui de more cœlum terramque miscet, contra Cujacium Episcopis etiam ex legibus forum & jurisdictionem tribuere conantur (*e*). Hæc sententia eo tantum casu locum habere potest, si admittatur, legem, quæ permittit litiganti, etiam altera parte refragante, sacrosanctæ legis Antistitis eligere judicium, Constantini M. esse. Cæterum novis legibus & moribus Episcopi etiam in causas profanas, saltem Clericorum, forum sibi quæsiverunt.

Ecclesia in rebus spiritualibus forum proprium habet.

§. III. Verum enimvero in causis spiritualibus in Ecclesia esse forum proprium, quo illæ cognoscantur & decidantur, in compertis est: jure enim divino Episcopi in rebus spiritualibus judices constituti sunt: & forum competens facit judex, qui pro jure suo jurisdictionem exercet. Quin adeo proprium Ecclesiæ est forum de rebus spiritualibus, ut nefarium sit vel ipsis summis Principibus de iis directe cognoscere & judicare. Potestas nimirum spiritualis jure clavium continetur, quas Christus Apostolis & eorum successoribus concredidit. Hinc recte Osius Cordubensis Episcopus (*f*) Constantinum M. admonuit, imperii & sacerdotii fines esse constitutos, & divinæ ordinationi eos adversari, qui imperium ipsius

ma-

(*a*) Cujac. in Parat. C. de Episc. aud. & ad l. 40. §. 1. D. de Pactis, Florens tract. de Jurisd. eccles. in præf.
(*b*) Novell. de Episc. judic. ad calc. C. Th.
(*c*) L. 8. C. de Episc. audient.
(*d*) L. 7. C. eod.
(*e*) Alteser. de Jurisd. lib. 1. cap. 1., Gagliar. Instit. jur. can. lib. 3. tit. 4.
(*f*) Ap. Athanas. ep. ad solitar. vit. agent.

malignis oculis carperent, & ipsum, si Ecclesiæ & sacerdotii jura usurparet. *Ad Sacerdotes*, inquit Joannes Papa (*a*), *Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas.* Ipsi quoque christiani Principes sæpe professi sunt, spiritualia jure divino ad Sacerdotes pertinere: quod Valentiniani senioris, Justiniani & Ludovici Pii productis testimoniis Petrus de Marca probat (*b*).

Locus Ecclesiasticorum judiciorum.

§. IV. Illud tamen verum est, non eadem loci majestate jus Ecclesiam dicere consuevisse, qua Romæ magistratus judicabant. Nimirum magistratus jus dicebant pro tribunali; eratque tribunal locus amplissimus & spectabilis in foro fere hemicycli specie introrsum curvatus, ubi in sella curruli præsidens prætor jus dicebat (*c*). At Ecclesia tribunali & aliis multis, quæ judiciorum publicorum propria erant, abstinuit, vitioque datum fuit Paulo Samosateno, quod tribunal & sublimen locum, non ut Christi discipulus, sed ut quidam hujus sæculi Princeps sibi ipse construxerit, & secretum habuerit (*d*). Forum seu locus ecclesiasticorum judiciorum Ecclesia fuit, ubi ad bematis superiorem partem pone altare Episcopi sublimior thronus, & ad utrumque latus in hemicycli speciem depressiores Presbyterorum sedes collocatæ erant (*e*). Hic cogebatur senatus ecclesiasticus ad causas audiendas. Quin ipsæ Synodi majores, provinciales, diœcesanæ, œcumenicæ etiam in Ecclesia ut plurimum solebant congregari. Hinc sub Julii Papæ nomine ita statutum legitur, *ut nullus in publico causam agat, nisi in Ecclesia* (*f*). Et Alexander III. objurgat Archiepiscopum Cantuariensem, quod non in Ecclesia, nec in palatio, nec in camera sua, sed in camera Regis contra Canonum formam electiones Episcoporum confirmaret (*g*). Verum ubi in causas ecclesiasticas solemnis forma judiciorum irrepsit, & jurisdictionis administratio ab Episcopis in officiales seu vicarios suos translata est; extra Ecclesiam officiales jus dicere cœperunt, ne illa fori strepito turbaretur: tantumque Synodi de more antiquo in Ecclesia solent celebrari. Quin ad forensem formam redactæ ecclesiasticæ causæ, Episcopi & eorum officiales etiam *pro tribunali sedere* dicti sunt (*h*).

Fo-

(*a*) Can. XI. D. 96.
(*b*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 2. cap. 1. n. 10.
(*c*) Conf. Heinec. Antiq. Rom. lib. 4. tit. 6. n. 7.
(*d*) Euseb. Hist. eccles. lib. 7. cap. 20.
(*e*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 7. cap. 6. §. 10.
(*f*) Ap. Isidor. in Collect. ext. lib. Pontificali Damasi Papæ.
(*g*) Cap. 25. ext. de Appellat.
(*h*) Cap. 7. de Off. ordin. in 6.

Forum ecclesiasticum olim unum fuit.

§. V. Verum enimvero forum ecclesiasticum præsertim pro ea parte, quæ peccata eorumque medelas spectat, in veteri disciplina totum internum fuit & sacramentale, quod Morinus pluribus illustrat (*a*). Sane non adeo distinguebant veteres, utrum confessione secreta, an extra confessionem peccata cognita essent, ut illis pœnitentiam & reconciliationem concederent: nec distinguebant, cujus generis essent peccata, sed promiscue de omnibus judicabant, & pœnitentias decernebant. Non erat alius, qui excommunicationem, alius, qui peccata solveret, ad quem postea soluta excommunicatione peccator esset remittendus: nec erat aliud forum, in quo excommunicandus vel excommunicatus judicabatur, aliud in quo pœnitens excommunicatione soluta; sed unus idemque Episcopus & Presbyter ejusdemque fori præsens id præstabat, vel si antiquissima tempora respicias, id Episcopus Presbyteris adsessoribus cinctus faciebat, non modo si crimina essent publica, verum etiam si occulta, quæ peccator vel sponte sua confiteretur, vel accusatus legitimis testimoniis convinceretur. Multa quidem judicialia & veluti solemnis judiciorum ordo in criminibus detegendis adhibebantur: at exterior omnis forma ad peccata per canonicam pœnitentiam eluenda spectabat (*b*). Forum ejusmodi toto sæculo XI. stetit, at in duo distinctum est, internum scilicet & externum, quorum illud sacramentali ratione procedit, & in crimina prorsus omnia animadvertit; hoc vero formulis strepituque forensi exercetur, judicat de criminibus ecclesiasticis & censuras infligit. Strepitus forensis, qui restituto legum Romanarum studio in Ecclesiam intravit, hanc duplicis fori distinctionem videtur induxisse: ubi enim aliqua causæ cognitione opus esse videbatur forenses tricæ receptæ sunt, & judiciale & externum forum invaluit: contra pœnitentiæ Sacramentum ab omni exterioris judicii forma liberum relictum est.

Causæ de Sacramentis sunt fori ecclesiastici.

§. VI. Ut vero constet quod sit forum competens, principio genera causarum distinguenda sunt, nimirum utrum causa sit spiritualis an temporalis. Si causa sit spiritualis, quum est forum competens, hoc est ecclesiasticum, præsertim si juris quæstiones agitentur, idque sive rei Clerici, sive Laici sint. Causæ vero spirituales, seu fori ecclesiastici propriæ, aliæ sunt de rebus sacris, aliæ de criminibus. Et de rebus sacris in primis censentur causæ Sacramentorum, quas quod spectat ad eorum naturam & substantiam, ecclesiasticæ cognitionis esse incompertis est. Quod spectat, in-

quam,

(*a*) Morin. de Administr. pœnit. lib. 1. cap. 10.
(*b*) Morin. de Administr. pœnit. lib. 1. cap. 10.

quam, naturam & substantiam: *certum est*, inquit Espenius (*a*), *quod circa modum, tempus, locum ea exhibendi aut celebrandi, necnon horum Ministros plura intercurrere queant externam politiam spectantia, & ad quæ Principum eorumque magistratuum cura & auctoritas se extendere possit, quin & subinde debeat: utpote quibus incumbit externæ politiæ curam habere, atque curare, ut omnia recto ordine etiam in Ecclesia agantur.* Cæterum ex causis sacramentalibus vix ullæ ad forum contentiosum hodie producuntur, exceptis matrimonialibus, quæ per juris ambages tractari solent.

Cujus fori sunt causæ matrimoniales.

§. VII. Jure veteri causæ omnes ad matrimonii contractum spectantes, & inde pendentes, veluti de dote, sponsorum largitionibus, natalibus, alimentis præstandis ad civilis magistratus jurisdictionem spectabant (*b*). Quin ipsa summa civilis potestas impedimenta omnia, quæ jure humano inducta nullas reddebant nuptias, relaxabat, & vetita matrimonia permittebat (*c*). Tantum ecclesiasticæ cognitionis erant Sacramentum, canonica impedimenta, nuptiarum benedictio aliique ritus, quibus in Domino matrimonium contrahebatur. At labentibus annis matrimonii Sacramentum contractum veluti occupavit & ad se traxit, & inde quæstiones matrimoniales etiam de contractu, & inde pendentes, aut eo spectantes veluti spirituales, aut spiritualibus incidentes, ad forum ecclesiasticum convolarunt: quod jus decretales exhibent. Cæterum præsentibus provinciarum legibus & moribus ferme solæ quæstiones de vi matrimonii & sponsaliorum, præviis denunciationibus & sacris ritibus ad forum ecclesiasticum pertinent; reliquæ vero profanæ causæ, etsi quæstioni de vi matrimonii incidant, ad forum civile redierunt: quod jus etiam apud nos obtinet: pactis enim conventis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum initis tantum causæ de vi matrimonii & sponsaliorum solius judicis ecclesiastici sunt (*d*): atque adeo de iis, nec si quæstioni profanæ in foro laico propositæ incidant, sæcularibus judicibus licet judicare. Quæstio quoque natalium, ubi de dubio matrimonii fœdere pendet, ad judicem ecclesiasticum videtur spectare (*e*); at si indubio connubii fœdere de facto tantum disputandum sit, veluti si Titius natus sit ex illo matrimonio, quod jure contractum constat, laici judicis cognitio est. Cæterum non omnes inferiores judices ecclesiastici, etsi habeant ordinariam jurisdictionem, possunt de matrimonio cognoscere, sed tantum Episcopi (*f*).

Cau-

(*a*) Espen. part. 3. tit. 2. cap. 1. n. 4.
(*b*) Conf. superius dict. cap. 2. §. 14.
(*c*) Conf. Jac. Gothofr. in l. un. C. Th. Si nuptiæ ex. Rescripto petantur.
(*d*) Concord. cap. 6. n. 3.
(*e*) Conf. Espen. part. 3. tit. 2. cap. 1.
(*f*) Trid. sess. XXIV. de Reform. c. 20., Conf. Alteser. lib. 6. de Jurisd. eccles. c. 2.

Causæ beneficiariæ episcopalis fori sunt.

§. VIII. Causæ quoque beneficiariæ spiritualibus accensentur, atque adeo ad forum ecclesiasticum pertinent, sive de ipsa collatione, sive de qualitatibus beneficiariorum, sive de ipsius beneficii privatione, sive de excitandis, sive conjungendis, sive partiendis beneficiis agatur. Sunt beneficia ipsa sacra ministeria, quibus redditus ecclesiastici perpetuo adnexi sunt: quo fit, ut nefarium habeatur de beneficiis laicos judices cognoscere. Et bene Alexander III. beneficiis privandos respondit, qui, non requisita Episcopi audientia, occasione laicæ recognitionis beneficia in Anglia obtinebant (*a*). Sed legata pia & capellaniæ mere laicales, quæ scilicet Episcopi auctoritate in titulum non sunt erectæ, ecclesiastici fori non sunt, beneficiis enim non accensentur. Tantum episcopalis fori est capellanos ad Missas celebrandas aliaque spiritualia officia iisdem adnexa obeunda compellere: quo jure utimur.

Quis judex in causis juris patronatus.

§. IX. Porro causæ juris patronatus, tanquam quæ adnexæ sunt beneficio & rei spirituali, jure decretalium ad forum ecclesiasticum pertinent. *Causa juris patronatus*, inquit Alexander III. (*b*), *ita conjuncta est & connexa spiritualibus causis, quod nonnisi ecclesiastico judicio valeat definiri.* Rationem hanc veluti merum fucum Boehmerus traducit (*c*), utpote quod jus patronatus non Ecclesiæ, sed bonis temporalibus cohæret. Sed facile erat animadvertere, jus patronatus adhærere quidem rebus temporalibus, quatenus per dotationem aut Ecclesiæ fundationem adquiritur, & cum bonis transfertur; at officio sacro cohærere, quatenus in nominatione consistit, vi cujus à patrono designatus instituendus est. Itaque sive patroni, etiam laici, de suo patronatus jure litigent, sive inter designatos ad beneficium oriatur controversia, judicis ecclesiastici judicium est. Cæterum posthabito decretalium jure in multis provinciis causæ de jure patronatus laico, sive in judicio proprietatis, quod *petitorium* dicunt, sive in judicio possessionis ad judicem laicum spectant (*d*). Jus patronatus laicum veluti temporale haberi cœpit, quod non secus ac alia jura temporalia in hæredes transibat, & veluti qualitas fundis ipsis inhærebat.

In regno nostro cujus fori sunt causæ jus patronatus.

§. X. In regno Apuliæ causæ juris patronatus ex regulis decreta-

(*a*) Cap. 21. ext. de Jure patr.
(*b*) Cap. 3. ext. de Judic.
(*c*) Boehm. Jur. eccles. lib. 2. tit. 2. §. 15.
(*d*) Conf. Alteser. de Jurisdict. eccles. lib. 6. cap. 11., & Espen. part. 2. tit. 25. cap. 4. num. 16.

talium ad forum ecclesiasticum pertinent, idque pactis conventis confirmatum est, sed exceptis tribus patronatus speciebus, regio nempe, feudali, & laico, si quæratur num patronatus sit feudo adnexus, vel de universitate bonorum sit (*a*). Et quidem regii patronatus causæ ex vetustis regni moribus ad regios judices delatæ sunt: nunc vero in curia Capellani majoris jussu Regis tractari solent. Invidendæ non erant Regibus nostris causæ jurispatronatus regii, ubi illi ex antiquissimis moribus multa jurispatronatus beneficia pleno jure conferunt: præsertim quando ipsa Ecclesia communibus patronatuum regulis Regum & Principum patronatus metiri noluit (*b*). Item ad regios judices pertinent patronatus feudales in iis tantum causis, quarum decisio ex eo pandet articulo, num patronatus feudo sit adnexus. Controversiæ enim hujusmodi ipsa feuda, quorum proprietas Regis est, afficiunt; & inde ad regios patronatus spectare videntur. Quod si qualitas patronatus feudalis certa sit, & lis emergat inter patronos, quis eorum pro ea vice debeat Clericum designare, aut de qualitatibus in fundatione præscriptis, vel inter plures designatos deputetur, competens forum est ecclesiasticum. Similiter pertinent ad judicem laicum juri patronatus laicalis causæ, si num sit de universitate bonorum, disceptetur: ipsa enim bonorum universitas secum causas omnes inde pendentes involvit. *Bonorum appellatio*, inquit Ulpianus (*c*), *sicut hæreditatis, universitatem quandam ac jus successionis, & non singulas res demonstrat.* Hinc res singulæ, puta prædia particulari titulo quæsita universitatem revera non continent: & inde judicium de patronatu dubio, num sit prædio adnexus, judici ecclesiastico relictum videtur: nisi in ipsis particularibus fundis universitatem subtilius interpretemur, quasi omnis fundus integrum aliquid sit, & pluribus partibus veluti ædificio & agro constet, quod agnoscunt jurisconsulti (*d*), qui etiam fundo *universitatem* videntur tribuere (*e*).

Causæ funerariæ sunt fori ecclesiastici.

§. XI. Causis beneficiariis accedunt quæstiones funerariæ, quæ utpote ecclesiasticæ, etiam episcopalis fori esse censentur. Jure Romano sepulchra ad religionem pertinebant, animæ enim, quas divinis honoribus colebant, & veluti deos habebant, circa sepulchra, ubi cadavera, quæ fuerant earum habitacula, condita erant, potissimum oberraturæ credebantur (*f*). Quapropter si aut cadavera transferri, aut sepulchra refici deberent, nihil horum absque Pontificis auctoritate adgredi licebat (*a*). Potiori ratione apud christianos res funeraria religionis causam continet: funera religioso ritu ducuntur, cœmeteria ipsa consecrantur, & præterea in spem resurrectionis ibi veluti summo data cadavera deponuntur. Itaque episcopalis fori est de causis funerariis cognoscere, sive agatur de concedenda vel neganda mortuis sepultura, de ejusdem electione, de benedictione cadaveris, usu crucis paræcialis, & de solutis juribus funerariis inter Ecclesias & Clericos dividendis. Ejusdem quoque fori est prohibere funebre carmen & nimios ejulatus (*b*), quos christiana non probat philosophia. Item jure decretalium etiam Episcopi est cogere laicos ad consuetas funerarias oblationes dandas, quo casu sponte non offerantur (*c*). Sed moribus hodiernis, etiam hujus regni, actio funeraria ad solvenda jura funeraria laici fori reputatur; est nimirum actio personalis, qua debita pecunia postulatur, nec aliquid spiritualis creditur continere. Quin pro jure suo civilis potestas funebrem apparatum & exequiarum expensas moderatur: idque in regno Neapolitano hac recentiori ætate factum esse constat (*d*).

Quæstiones de decimis jure decretalium sunt fori ecclesiastici.

§. XII. Porro causæ decimarum jure canonico ad forum ecclesiasticum pertinent; habentur enim in decretalibus Pontificum veluti sacer census Deo debitus in signum supremi & universalis dominii (*e*), quæ doctrina ex legibus judaicis in Ecclesiam irrepsit. Et inde laici ratione decimarum tributarii & vectigales Dei dicuntur (*f*). Itaque si quæstio sit an decimæ, aut qua mensura debeantur, judicis ecclesiastici est judicare. Hinc in judicio decimarum non juratur in litem (*g*), quia reputatur causa spiritualis, nec de decimis in laicos licet compromitti (*h*). Inde etiam laici ab Episcopo diœcesano compelli possunt per censuras ecclesiasticas ad decimarum solutionem, quod in decretalibus cavetur (*i*), & à Patribus Tridentinis confirmatum est (*k*). Quin sub nomine Anastasii Papæ apud Gratianum habetur, ut si quis decimas tenere contenderit, vel extra Ecclesiam baptismalem præter Episcopi voluntatem dare voluerit, *bannum* episcopale componat, & communione privetur (*l*). *Bannus* episcopalis erat multa, quæ solvebatur Episcopo & sexaginta solidis constabat (*m*).

Cu-

(*a*) Concord. cap. 6. art. 4.
(*b*) Trid. sess. XXV. de Reform. cap. 9.
(*c*) L. 208. D. de V. S.
(*d*) L. 60. & 211. D. de eod.
(*e*) L. 10. D. de Legat. 2.
(*f*) Conf. Guther. de Jur. man. lib. 1. cap. 18.

(*a*) L. 8. D. de relig., L. 2. C. Th. de sepult. viol.
(*b*) Can. XXVIII. c. 13. q. 2.
(*c*) Cap. 42. ext. de simonia.
(*d*) Conf. Gagliard. inst. Jur. Can. lib. 3. tit. 7. n. 30.
(*e*) Cap. 14. & 26. ext. de decim.
(*f*) Helmol. histor. Sclavor. lib. 1. c. 3.
(*g*) Cap. 2. ext. de juram. calum.
(*h*) Cap. 8. ext. de arbitr.
(*i*) Cap. 5. ext. de decim.
(*k*) Trid. sess. XXV. de Ref. c. 12.
(*l*) Can. LX. c. 16. q. 1.
(*m*) Conf. Alteser. de jurisd. eccles. lib. 6. c. 4.

Cujus judicis est possessorium *in causis ecclesiasticis.*

§. XIII. Jam vero causæ ecclesiasticæ jure decretalium ad judicem ecclesiasticum pertinent; non solum si quæstio juris seu proprietatis, quam dicunt *petitorium*; verum etiam si quæstio possessionis agitetur. Interim in Gallia, Belgio & aliis provinciis, quas Barbosa recenset (*a*), causæ beneficiariæ, decimarum & similes in judicio proprietatis remittuntur quidem ad judicem ecclesiasticum; at in judicio possessionis in regiis auditoriis tractari solent, si nempe agatur de retinenda, vel recuperanda possessione, non item si agatur de adipiscenda, nam hoc judicium plus proprietatis, quam possessionis habere videtur. Initio hic usus in Gallia moribus receptus est, eumque Martinus V. edita decretali non improbavit. Pertinebat quidem Martini decretalis ad Galliam, at inde data occasio, ut simile jus in aliis provinciis reciperetur, quod Salgado observat (*b*). Nec religio est regiis magistratibus de causarum ecclesiasticarum possessione cognoscere; nam de possessione quæstiones, veluti quæ merum factum continent, temporales reputantur. Et quanquam in pleno possessionis judicio etiam jura & tituli ambarum partium discuti & ventilari soleant, idque ut constet de legitima alterius partis possessione; tamen id obiter fit, & sententia non super proprietate & titulis, sed duntaxat super possessione pronunciatur. Finito possessionis judicio & per omnia executioni dato, liberum est ei, qui in judicio possessionis victus est, juris quæstionem in foro ecclesiastico intendere, etsi id raro fiat; quia expensis in judicio possessionis juribus & titulis, mala videtur esse ejus causa, qui in judicio possessionis victus est. Dolendum vero in causis ecclesiasticis etiam de possessione regios magistratus judices sedere; at id vitio vertendum Clericis, qui tot tricis forensibus ordinem litigandi implicuerunt, ut litigantes potius vitæ, quam litium finem sibi imminere sciant, quod Espenius deplorat (*c*).

Quis judex in causa decimarum in regno Apuliæ.

§. XIV. In regno Apuliæ ultra processit regia jurisdictio, causæ enim decimarum, etiam ubi de jure tractatur, in laico foro & præsertim in S. Consilio ex antiquis moribus cognoscuntur & judicantur (*d*). Sane ex pluribus in S. Consilio agitatis decimarum causis constat, ibi judicatum, utrum decimæ essent prædiales an mistæ; utrum cathedrali, an parœciali aliisve Ecclesiis deberentur, utrum fructus tantum naturales, an etiam alii quavis arte quæsiti de-

(*a*) Barbosa lib. 1 Jur. eccles. c. 39. n. 161. et seq.
(*b*) Salgado de Protect. regia part. 1. præl. 5. n. 293.
(*c*) Espen. part. 3. tit. 2. c. 4.
(*d*) Conf. Ant. capit. decis. XX. & de Franchis decis. CXXIV.

decimis tenerentur, aliisque jus ipsum spectantibus controversiis. Nec patitur regia jurisdictio causas decimarum in foro ecclesiastico quomodolibet audiri, neque laicos, quamvis certos liquidosque, debitores, ab ecclesiasticis judicibus compelli; decretum enim Tridentinum, quo licet Episcopis excommunicare quotquot decimas subtrahunt, aut impediunt, quominus Ecclesiis aut personis, quibus debentur, persolvantur (*a*), apud nos receptum non est. Nimirum hujusmodi controversiæ omnes potius factum, quam jus ipsum doctoribus nostris spectare visæ sunt. Jure evangelico decimæ non debentur, eoque tantum edicitur, alendos esse altaris Ministros, nec præscribitur, unde illi ali debeant. Hinc initio spontaneis fidelium oblationibus vixerunt: deinceps vero Ecclesiæ magna fundorum copia auctæ sunt: & interim decimæ potius consuetudine, quam Canone Ecclesiis quæsitæ; aut siquidem Canone, inde contrariis moribus aut pactis conventis vel abolitæ, vel in novam formam redactæ. Itaque existimarunt doctores nostri, in decimarum quæstionibus non jus ipsum in controversiam adduci, sed potius factum, atque adeo quæri num existant consuetudines aut pacta de decimis solvendis, aut quo modo, aut cui Ecclesiæ ex consuetudinum & pactorum forma pendi debeant: & hinc de decimis judicia, utpote quæ meri facti quæstionem continerent, profana reputarunt (*b*). Quin Regis nostri frequentibus litteris omnino abolentur decimæ in Ecclesiis, quæ ex aliis redditibus congruam sustentationem Episcopo, vel Parochis præbent.

Distinctio criminum in ecclesiastica, civilia *& mista.*

§. XV. Hactenus de causis rerum ecclesiasticarum, quæ pertinent ad forum episcopale, dicendum nunc de criminalibus. Quandiu unum fuit Ecclesiæ forum, internum nempe, omnia fidelium crimina ei subjiciebantur, eaque duntaxat salutaribus pœnitentiis Ecclesia expiabat, & vinculo quo in cœlis obstricta erant, solvebat. At ubi forum externum ab interno sejunctum est, internum nullam deminutionem subiit, nec subire poterat, & inde etiam in nova disciplina in crimina omnia fidelium Ecclesia pœnitentiis animadvertit; at quod spectat forum externum, criminum distinctio in *ecclesiastica*, *civilia*, & *mista* invaluit. Ecclesiastica religionem & fidem directe lædunt, eorumque natura ex sacris Canonibus innotescit, qualia sunt apostasia, hæresis, schisma, simonia, Sacramentorum profanatio, illicita ordinum susceptio, sigilli sacramentalis fractio, neglecta in beneficiis assiduitas, & hujus generis alia. Civilia sunt quæ directe lædunt rempublicam, nec in foro externo aliquid spirituale continent, qualia homicidium, pecula-

(*a*) Trid. sess. XXV. de Ref. c. 12.
(*b*) Conf. de Franchis decis. CIII. n. 4. & Joseph de Rosa consult. 9.

latus, furtum. Et demum mista dicuntur, quæ religionem & rempublicam eodem tempore lædere videntur, qualia censentur adulterium, concubinatus, sodomia, sacrilegium, crimen usurarum, & hujus generis alia.

Forum competens in criminibus ecclesiasticis.

§. XVI. Quod spectat ad crimina ecclesiastica, in compertis est, eorum cognitionem ad judicem ecclesiasticum pertinere, sive Clerici, sive laici delinquant; Ecclesiæ enim est videre, num admissum crimen reapse tale sit, quale esse creditur, & canonicas pœnas irrogare. At ubi Ecclesia de hæresi cognoverat, ex regulis veteris disciplinæ magistratuum erat in reos ecclesiastico judicio damnatos pœnis civilibus animadvertere (*a*): & jure decretalium ecclesiastici judices à se damnatos hæreticos judicibus laicis puniendos tradunt (*b*). Quamvis enim vetetur civilis potestas de doctrina & hæresibus judicare, tamen tanquam Religionis & Canonum custos pro jure suo hæreticis pœnas irrogat. Verum in Neapolitano regno pactis conventis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum crimina ecclesiastica solius judicis ecclesiastici judicio & punitioni reservata sunt cum plena potestate animadvertendi in laicos, ita quidem ut nec laicis judicibus incidens de hæresi cognitio permittatur (*c*). Item polygamiæ crimen soli judici ecclesiastico cognoscendum & puniendum relictum est (*d*), etsi antea regii magistratus hanc reservationem non admitterent (*e*). Cæterum quod Episcopi in conficiendis actis criminalibus ordinem S. Officii à Neapolitanis constanter semperque rejecti non omnino excusserant, regiis litteris anno MDCCXLVI. mandatum curiis ecclesiasticis regni, ut reos de hæresi, vel ejus suspicione, sive ecclesiasticos, sive laicos non citent, carcerique tradant, nisi *processum*, ut ajunt, *informativum* antea Regi exhibuerint, & ab eo id agendi specialem veniam impetraverint: nec inde instructo judicio sententiam exequantur suam, nisi Rege annuente, postquam acta omnia iterum eidem exhibita sint.

Forum competens in criminibus mistis & civilibus.

§. XVII. Crimina mista jure decretalium canonicis pœnis vindicant Episcopi, civilibus vero magistratus (*f*); idque præceptis christianæ religionis convenit, quæ dum reos pœnitentiæ subjiciunt, à civilibus pœnis non eximunt. Sed temporis lapsu ecclesiastici conten-

(*a*) L. 1. C. de Summa Trinit. & fide cathol.
(*b*) Fevret. de abusu lib 8. cap. 2.
(*c*) Concord. cap. 6. n. 1. & 6.
(*d*) Concord. loc. cit. n. 2.
(*e*) Conf. Regens de Ponte ins. tract. de bigamia, & Chioccarel. tom. 5. Arch. tit. 4.
(*f*) Cap. 2. ext. de maledicis, cap. 5. de pœnis in 6.

tendere cœperunt, etiam jus esse Ecclesiæ talia crimina pœnis civilibus punire, idemque etiam laicos magistratus facere posse, atque ideo locum esse prævention, judicisque prævenientis esse jurisdictionem. Ipsa Synodus Tridentina aperte tribuit Episcopis inflictionem pœnarum civilium in reos criminum mistorum; permittit enim Episcopis pœnas civiles in concubinarios infligere, & publicas concubinas in exilium pellere (*a*). At decretum hoc, utpote regiæ jurisdictioni adversum, nec apud nos receptum est; moribus enim antiquis regni solius civilis potestatis esse tenebant regii magistratus, pœnis civilibus in laicos criminum misti fori reos animadvertere. Et profecto magno legum Principumque ludibrio clamabant ecclesiastici in criminibus misti fori etiam Ecclesiam pœnas civiles posse irrogare; hæ enim pœnæ spectant publicam vindictam, quæ tantum civili potestati reservata est. Sed demum pactis conventis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum tantum pœnis canonicis licet Episcopis crimina misti fori expiare (*b*), atque adeo cessarunt omnes de foro misto controversiæ. Quibus etiam pœnis Episcopi contra publicos reos civilium delictorum possunt procedere.

Regula juris actor sequitur forum rei.

§. XVIII. Forum ecclesiasticum in causis spiritualibus tantum competens est; sed si causa sit temporalis, ut de foro competenti statuatur, quisnam sit reus videre oportet, nam apud rei judicem causa instituenda est. Vulgata est utriusque juris regula, actor rei forum sequitur (*c*). Nimirum reus in judicium venit invitus, atque adeo apud judicem, qui eum vocare & cogere potest, conveniri debet. Quoniam vero Clerici fori privilegio utuntur, quo à fori civilis jurisdictione exempti sunt, hinc in causis temporalibus laici apud judices laicos, Clerici vero, & qui eorum jure censentur, apud ecclesiasticos judices vocari debent, nisi causa talis sit, quæ Clericos à foro civili non eximit.

Forum competens ex causa domicilii.

§. XIX. Jam vero reus, sive in ecclesiasticis, sive in civilibus judiciis ex quatuor causis forum sortitur, domicilio, nempe, contractu, re sita, & maleficio, quod civili & canonico jure constitutum est (*d*). Principio forum evadit proprium domicilio, ibique reus ferme ex quavis causa recte conventur. Domicilium positum certo loco intelligitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet,

(*a*) Trid. sess. XXIV. de Ref. matr. cap. 8.
(*b*) Concord. cap. 6. n. 5.
(*c*) L. 2. C. de Jurisdict., Can. V. & VIII. ext. de Foro comp.
(*d*) Cap. ult. ext. eod.

cet, unde quum profectus est, peregrinari videtur (*a*); vel si in aliquo loco per decennium commoratus, ibi sedes constituat (*b*). Potest vero quis, si velit, plura habere domicilia; ut si instructus sit duobus locis æqualiter, neque hic minus, quam illic frequenter commoretur (*c*). Et quoniam mulier nubens eo animo transit in mariti domum, ut ibi perpetuo maneat, domicilium mariti habere intelligitur (*d*). Ubi quis domicilium constituit, statim subjectus evadit ejus loci jurisdictioni, atque adeo recte ibi convenitur, sive actione in personam, sive in rem, sive præsens, sive absens sit; & nisi defendatur, bonorum possessionem & distractionem patitur (*e*). Et si quis in duobus locis domicilium habeat, utrobique potest in jus vocari (*f*).

Domicilium commune.

§. XX. Præter proprium & singulare cujusque domicilium datur etiam commune, quod jure Romano ipsa Roma erat. *Roma*, inquit Modestinus (*g*), *communis nostra patria est*; ubi enim per Antonini constitutionem omnes in orbe Romano existentes cives Romani facti sunt (*h*), Roma veluti communis omnium patria haberi cœpit. Hinc unusquisque Romæ repertus ex privata causa ibi convenitur, sive illic contraxerit, sive non, sive deliquerit, sive non, nisi habeat jus revocandi domum, quales legati, quique ex necessaria causa Romam iverant, de quibus agit Ulpianus (*i*). Simili ratione etiam Roma christiana communis omnium Clericorum patria jure decretalium habetur: Romana enim Ecclesia omnium mater & magistra est. Hinc Gregorius IX. rescripsit, Episcopum Romæ repertum ibi rite conventum fuisse, etsi nulla causa esset, qua forum proprium fieret: tantumque jus revocandi domum habuisse, si ex justa & necessaria causa in urbem venisset (*k*): quod rescriptum cum jure Romano convenit.

Forum competens ex causa contractus.

§. XXI. Item forum evadit competens & proprium ex contractus causa; ubi enim contractum est, ibi actione in personam reus præsens convenitur; censentur nimirum contrahentes jurisdictioni ejus loci, ubi contrahunt, se subjicere. Contractus vero nomine veniunt etiam quasi contractus: & inde qui in provincia negotia ges-

(*a*) L. 7. C. de Incolis.
(*b*) L. 2. C. eod.
(*c*) L. 5. & 27. §. 2. D. Ad municip.
(*d*) L. 65. D. de Judic., L. ult. C. de Incolis.
(*e*) L. 19. D. de in jus vocando, l. 1. & seq. D. de Reb. auctor. judic. possid.
(*f*) Cap. 15. ext. de Foro comp.
(*g*) L. 33. D. Ad municip.
(*h*) L. 17. D. de statu homin.
(*i*) L. 2. §. 3. & seqq. D. de Judiciis.
(*k*) Cap. ult. ext. de Foro comp.

gessit, aut tutelam administravit, ibique quoque judicium subire debet (*a*). Locus autem contractus ille intelligitur, ubi contractus initus est, nisi expressum sit, quo loco pecuniam solvi placuit (*b*). Qui vero extra locum domicilii contraxit, actione directa in loco contractus, si ibi præsens reperiatur, arbitraria in domicilio convenitur (*c*): injustum enim erat, ut debitore ad locum contractus non accedente, alibi actio intendi non posset. Et si jurisconsultus doceat, eum qui insulam Capuæ certo tempore fieri stipulatus est, eo finito *quocumque loco* in id, quod interest, agere posse (*d*); verbum *quocumque* civiliter accipiendum est, ut Capuæ & in alio loco idoneo, hoc est in domicilio, recte agatur. Datur vero casus, quo nec in loco contractus debitor potest conveniri, puta si quis ab advena mercatore, quem scit confestim profecturum, aliquid emerit, vel eidem vendiderit: in hac enim specie forum proprium est in domicilio; durissimum enim est quotquot locis quis navigat, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere, nisi constiterit alicubi, taberna, pergula, horreo, armario vel officina conductis (*e*).

Forum competens ex causa rei sitæ.

§. XXII. Forum quoque proprium facit locus, ubi res controversa sita est; ibi enim in rem actio adversus possidentem movetur (*f*). Nimirum actione in rem non tam persona, quam res ipsa convenitur, daturque in possessorem non ratione dominii, sed possessionis. Nec refert utrum mobilis, an immobilis res sit, de qua contenditur: quin etiam actio intenditur, etsi possessor absit (*g*). Tantum petitio hæreditatis videtur id proprium habere, ut tum demum in loco rei sitæ intendi possit, si ibi degat aut inveniatur reus, quod Imperatores Valerianus & Gallienus expresse decernunt (*h*), etsi limitatio ista Hubero displiceat (*i*). Recte quidem in loco rei sitæ in rem actio intenditur; at id non impedit, quominus liberum sit actori in loco domicilii eadem actione reum convenire, quod satis à Licinio jurisconsulto expresum est, *si per in rem actionem legatum petetur*; *etiam ibi peti debet*, *ubi res est* (*k*), quo loco verbum *etiam* id significat, etiam alio loco actionem in rem recte intendi, & verbum *debet* tantundem est ac *potest*, quod Ge-

(*a*) L. 1. C. Ubi de ratiocin.
(*b*) L. 3. D. de Reb. auct. judic. possid.
(*c*) L. 19. §. ult. D. de Judic., l. un. C. Ubi conveniatur, qui certo loco.
(*d*) L. 43. D. de Judic.
(*e*) Cit. l. XIX. §. 2.
(*f*) L. 3. C. Ubi in rem actio.
(*g*) L. 2. C. eod.
(*h*) L. un. C. Ubi de hæredit. agatur.
(*i*) Huber. lib. 5. Prælect. cit. 1. n. 50.
(*k*) L. 38. D. de Judic.

rardus Noodt recte observat (*a*). Jure canonico etiam beneficio forum constituitur; veluti re sita (*b*); & ita in causis beneficiariis recte apud Episcopum beneficii Clerici conveniuntur.

Forum competens ex causa criminis.

§. XXIII. Porro ex causa admissi criminis forum competens evadit; quæstiones enim ubi commissa, aut inchoata sunt crimina, perfici debent: etsi alterius loci aut provinciæ sit, qui crimen admisit; quod jure Romano statutum est (*c*), cui Canones & decretales consentiunt (*d*). Sane ubi quis deliquit, major est copia probationum & majus expensarum compendium, & præterea justum est, reum exemplo pœnæ prodesse, ubi obfuit exemplo delicti. Ita certo jure statutum est, si reus, ubi deliquit, reperiatur: quid si inde in aliam provinciam fugerit? Etiam ubi reperitur, quæstionem perfici posse jure Romano statutum videtur (*e*), convenienter mandatis Principum, in quibus ei, qui provinciæ præerat, id etiam mandabatur, ut malis hominibus provinciam purgaret, nec unde erant, distinguebatur (*f*). Id vero locum habet nisi magistratus loci, in quo admissum est crimen, publicis litteris petat, reum ad se transmitti in loco admissi criminis puniendum: tum enim magistratus, à quo petita est transmissio, illum recusare non debet. *Solent præsides provinciarum, in quibus delictum est*, inquit Macer (*g*), *scribere ad collegas suos, ubi factores agere dicuntur, & desiderare, ut cum prosecutoribus ad se remittantur.* Quin Justinianus pœnam adjecit in magistratum, qui petitum à se reum ad judicem, ubi crimen admissum est, transmittere noluerit (*h*). Cæterum jure ecclesiastico novissimo in causis criminalibus tantum loci Episcopus procedit, non Decanus, aut Archipresbyter, etsi jurisdictionem habeant (*i*).

Forum competens ex partium consensu.

§. XXIV. Sunt præterea alii modi, quibus forum alias incompetens proprium & competens evadit, quales præcipui sunt consensus litigantium, continentia causæ, & privilegium. Et lege quidem Julia privatorum judiciorum licet litigantibus in alienum judicem consentire, quo consensu ultra terminos, quibus includitur, jurisdictio profertur, & incompetens judex competens evadit (*k*), id-

(*a*) Gerard. Noodt. com. in D. lib. 5. tit. 1.
(*b*) Cap. 3. de temporib. Ordinat. in 6.
(*c*) L. 7. & ult. D. de accusat. l. 28. §. penult. D. de pœnis.
(*d*) Can. IV. & V. c. 6. q. 3., cap. 14. ext. de Foro comp.
(*e*) L. 1. C. ubi de criminib.
(*f*) L. 3. D. de off. præsid.
(*g*) L. 7. D. de custod. reor.
(*h*) Novell. CXXXIV. cap. 5.
(*i*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 20.
(*k*) L. 1. & seq. D. de judic.

idque statutum, ut expediendi juris ratio facilior rederetur. Ejusmodi jurisdictio, recepto, sed parum idoneo vocabulo, audit *prorogata*: prorogatio enim proprie temporis est, & hinc apud Latinos *imperii prorogatio*; terminorum autem jurisdictionis non tam *prorogatio* dicitur, quam *prolatio* vel *prorogatio*, quod Jac. Perizonius recte observat (*a*). Profertur vero jurisdictio in civilibus causis, non item in criminalibus, quæ magis ad publicam vindictam quam ad privatorum utilitatem spectant; nec enim privatis hominibus tantum dari debuit, ut publicam ultionem eo transferant, quo ipsis videatur, eamque legum prævaricatione eludant (*b*). Cæterum in multis provinciis, & præsertim in hoc regno, mutata reipublicæ forma jurisdictiones patrimoniales evaserunt, & inde in locis feudalibus prolata jurisdictio locum non habet.

Quo casu obtinet jure decretalium.

§. XXV. Jure decretalium Clerici nequeunt proferre judicis laici jurisdictionem, & ex consensu civilem judicem suum facere; non enim eis licet fori privilegium ejurare, & in judicem laicum consentire (*c*). Tantum ex proprii Episcopi voluntate in alienum judicem ecclesiasticum recte consentiunt, ejusque jurisdictionem proferunt (*d*): & ideo quidem ex proprii Episcopi voluntate, ne parœciarum & jurisdictionis fines turbarentur: quam rationem ad promovenda litigantium commoda Romani neglexerunt. Moribus nostris rara est in curiis episcopalibus jurisdictionis prolatio: at sæpe Clerici in forum Nuntii Apostolici Neapoli commorantis consentiunt: idque ex antiqua consuetudine etiam inscio proprio Episcopo fieri consuevit, eamque consuetudinem decreto Synodi Tridentinæ (*e*) sublatam non esse S. Congregatio censuit (*f*). At nuper intercessit regia potestas; regiis enim litteris ad præsidem sacri Consilii mense Augusto anni CIↃIↃCCLXIX. datis, vetiti sunt notarii instrumentis & contractibus inserere formulam, qua Clerici jurisdictioni Nuntii Apostolici consentiant, eique se subjiciant.

Forum proprium ex continentia causæ.

§. XXVI. Porro judex incompetens evadit competens, si quæstioni apud se principaliter propositæ incidat quæstio, cujus directe ipse cognitionem non habebat. Vetant profecto leges civiles causarum contextum & continentiam abrumpi (*g*), ne lites multiplicentur, quo factum ut judex principis causæ cognoscat de omni-

(*a*) Perizon. Animadversionib. historic. cap. 6.
(*b*) Conf. Gerard. Noodt de Jurisd. & imp. lib. 2. cap. 15.
(*c*) Cap. 12. ext. de Foro comp.
(*d*) Cap. 18. ext. eod.
(*e*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 20.
(*f*) Ap. Gallemart. in Remiss. ad Trid. loc. cit.
(*g*) L. 10. C. de Judic.

nibus incidentibus articulis, quamvis alias de iis cognoscere vetaretur, ut videre est in causa status, quæ si bonorum disceptationi occurrat, judicatur etiam apud eum, qui alioquin in causa status cognoscere non potuisset (*a*). Similiter jure decretalium quæstiones civiles de dote, de sponsorum largitionibus, alimentis præstandis, & hujus generis aliæ, quæ matrimonialibus causis inciderent, in foro ecclesiastico tractabantur. *Vos, qui de matrimonio principaliter cognovistis*, inquit Clemens III. ad Pisanos judices ecclesiasticos (*b*), *& de dote quæ causa est incidens, accessorie cognoscere valuistis, & sententialiter definire.* Verum tum judici principis quæstionis de incidentibus cognoscere licet, si tantum jure prohibitus, non si omnino incapax sit: nam si omnino incapax sit, veluti sunt laici in causis spiritualibus, tum incidens quæstio ad judices suos ableganda est. Cæterum hodierni mores & leges etiam hujus regni non patiuntur, ut judices ecclesiastici judicent de profanis quæstionibus, quæ spiritualibus inciderint.

Forum fit competens privilegio.

§. XXVII. Forum denique evadit competens privilegio; multi enim concessis privilegiis subtracti sunt ab ordinarii judicis jurisdictione, & alii judici addicti, quales jure Romano viri clarissimi, milites, pupilli, viduæ & miserabiles personæ (*c*). Major vero copia exemptionum ab Episcoporum jurisdictione decretalibus summorum Pontificum inducta est; constat enim Monachis & regularibus, multis Ecclesiis, multis Canonicorum capitulis, aliisque peculiaribus Clericis privilegia Sedis Apostolicæ fuisse concessa, quibus aut in totum, aut pro parte ab Episcopi jurisdictione exempti sunt. Hinc turbata est ecclesiastica disciplina, & Ecclesiæ in Ecclesia natæ videntur. Multa quidem exemptionum & privilegiorum capita Synodorum Canonibus & præsertim Tridentinæ & Pontificum decretalibus abrogata, aut moderata, aut arctioribus finibus circumscripta sunt (*d*); at pro maxima parte exemptiones perseverant. Hinc exempti in exemptionis articulis forum Sedis Apostolicæ sortiuntur, aut illius judicis, cui eos privilegium addixit. Ita regulares & alii exempti forum Prælati quisque sui ordinariam & quasi episcopalem jurisdictionem habentis primo judicio subire coguntur, prout verba privilegii habent.

CA-

(*a*) L. 3. C. eod., l. 1. de Ordine judicior.
(*b*) Cap. 3. ext. de Donat. inter vir. & uxor.
(*c*) Conf. Huber. Prælect. lib. 5. tit. 1. n. 59. & seqq.
(*d*) Conf. Espen. part. 3. tit. 12. cap. 5. & seq.

CAPUT VII.

Quibus in causis Clerici apud judicem laicum conveniuntur.

Causæ feudales contra Clericos agitantur in foro laico.

§. I. Quamvis jure non minus civili quam canonico Clericis exemptio à magistratuum jurisdictione competat; sunt tamen multæ causæ tam civiles, quam criminales, in quibus nihil illis prodest fori privilegium, atque adeo apud judicem laicum conveniuntur. Varia hac super re sunt instituta & mores provinciarum; nos vero eas causas præcipue persequemur, quæ etiam in hoc regno Clericos civili foro addicunt. Et ad negotia civilia quod spectat, principio causæ omnes feudales contra Ecclesias & monasteria, quæ feuda sæcularia tenent, in curia domini directi, qui feudum concessit, agitari & judicari debent: quod feudorum disciplina postulat, & in decretalibus probatur. Sane rescripsit Alexander III., feudalem quæstionem esse coram domino feudi, vel laico, vel ecclesiastico, etiamsi collitigantes Clerici sint, definiendam (*a*). Et Bonifacius VIII. declaravit, abbatissam cujuslibet monasterii, quod feudum ab aliquo Principe tenet, debere domino *homagium*, seu fidelitatis sacramentum, præstare, cujus rei causa posse cum honesto comitatu egredi monasterium, si vicaria alterius opera debitum officium implere nequiverit (*b*). In regno Apuliæ etiam id jus obtinet, illudque pacta conventa inter Sedem Apostolicam, & Reges Andegavenses & Aragonenses confirmarunt. Hinc lites omnes feudales, sive in rem, sive in personam, sive Clerici, aut Monachi agant, sive conveniantur, in regia Camera Summariæ si fisci intersit; contra ubi nihil fisci interest, in S. Consilio agitantur & discutiuntur (*c*).

Item causæ de hæreditatibus & fideicommissis.

§. II. Præterea causæ omnes de hæreditatibus & fideicommissis ad solum judicem laicum spectant, sive Clerici agant, sive conveniantur, sive controversiæ emergant ex testamentorum vitiis, aut ambiguis intestatæ hæreditatis juribus: desuevitque propterea jus decretalium, quo lites omnes de testamentis ad forum ecclesiasticum devolvebantur. Extant hac super re Caroli olim Regis nostri litteræ ad S. C. Præsidem XIII. Kal. Octobris anno CIↃIↃCCXLVI. datæ, quibus præci-

(*a*) Cap. 6. & seq. ext. de Foro comp.
(*b*) Cap. un. §. 2. de Statu Regular. in 6.
(*c*) Pragm. 3. 36. & seq. de Off. S. R. C.

cipitur, causas omnes de adquirenda vel retinenda hæreditate, vel bonorum possessione inter competitores etiam Clericos agitari primo judicio in curiis locorum laicis, tum secundo in regiis audientiis, & demum in M. C. Vicariæ. Quin hæc eadem M. C. demum decretis suis, quæ in foro dicuntur *præambula*, declarat, hæreditatem deberi Clericis, clausulam addit, qua jura quorumcunque salva relinquit. Tanta vero huic clausulæ inest efficacia, ut Clerici tam hæredes, quam bonorum possessores ejus vi apud judicem laicum penes *præambuli* acta respondere creditoribus hæreditariis & legatariis cogantur, nec audiantur, si laicum judicem declinare postulaverint (*a*). Quod si ea clausula omissa sit, ex doctorum nostrorum sententia nequeunt Clerici à creditoribus hæreditariis in foro laico conveniri, quod jam vinculum laicæ jurisdictionis solutum sit (*b*).

Et causæ ubi Clerici auctores denuntiati sunt.

§. III. Porro Clerici, qui bona sua emptione, aut alio oneroso titulo, evictione promissa, alienarunt, si inde tanquam auctores denuntientur, ut possessores apud judicem laicum actione in rem conventos tueantur, fori privilegio non utuntur, sed debent apud laicum judicem, ubi possessor conventus est, litem suscipere. Certe jure Romano venditor ab emptore denuntiatus, ut eum evictionis nomine defendat, si dicat, se sui judicis habere privilegium, non auditur; sed emptoris judicem sequi debet, quod Paulus jurisconsultus respondit (*c*): cujus responsionis ratio est, quod actio in rem non contra venditorem, sed contra possessorem competit (*d*). Huic juri inhærentes interpretes recte videntur docuisse, fori privilegio non juvari Clericos, qui ex causa promissæ evictionis auctores denuntiati, seu *laudati* sunt, ut nostri loquuntur; sed debere apud judicem laicum, ubi lis instituta est, comparere, & possessorem tueri, nisi velint majorem desertæ litis æstimationem victo præstare: idque à Rota Romana probatum, & usu fere omnium Europæ tribunalium receptum esse Cardinalis de Luca testatur (*e*). Verum in hoc regno S. Concilium consuevit Clericos ex causa promissæ evictionis auctores denuntiatos, qui declinare forum postulaverint, ad ecclesiasticum judicem remittere, apud quem cum laicis possessoribus jam cœpta causa cognoscatur & finiatur (*f*).

Clerici in causa retractus in foro laico conveniuntur.

§. IV. Causæ quoque juris *retractus* etiam contra Clericos in foro laico agitantur. Jus retractus seu congrui facit, ut vicini præferan-

(*a*) Capic. Latro decis. CXXIII.
(*b*) Rovit. dec. XLIV., ibique Altim. in Observat.
(*c*) L. 49. D. de Judic.
(*d*) L. 1. C. Ubi in rem actio exerceri debeat.
(*e*) Card. de Luca de Judic. disc. 60. n. 5.
(*f*) Conf. Capic. decis. 197., Ursill. ad Afflict. decis. 389. n. 8.

rantur aliis, quo casu prædia vicinorum venduntur, aut in emphyteusim dantur, aut ad longum tempus locantur: idque jus recepta exotica Friderici I. constitutione apud nos invaluit. Num lege illa Clerici teneantur, doctores nostri magnis animis disputarunt; etsi disputationes istæ ex juris publici ignorantia, qua Clericos statutis laicorum non subjici credebatur, profectæ sint: interim vero in locis varii mores invaluerunt, quibus Clerici teneri, aut non teneri receptum est. Sed ubi Clerici jure congrui tenentur, id etiam quærebatur inter doctores nostros apud quem judicem conveniri deberent. Plerique forum laicum præferebant: contra Regens de Marinis magno conatu contendit, Clericos emptores & possessores in ecclesiastico foro à laicis vicinis conveniri debere (*a*): at rebus sæpe judicatis invaluit usus conveniendi Clericos prædiorum emptores apud laicum magistratum, si vicini prælationem postulent, qui usus litteris Delegati regiæ jurisdictionis, judicio regalis cameræ S. Claræ, & regio rescripto in causa Diaconi Prochytani firmatus est (*b*).

Item in causis nunciationis novi operis.

§. V. Item causæ nunciationis novi operis etiam contra Clericos in civili foro agitantur. Novum opus dicitur nunciari, ubi quis impeditur, ne ædificando aut demoliendo pristinam rei faciem mutet, & alterius jura lædat. Jure decretalium Clerici etiam in foro ecclesiastico laicis novum opus nunciabant, ibique causa agitabatur (*c*). At pragmatici nostri inter se non conveniunt, cujus judicis sit judicare, si Clericis novum opus à laicis nuncietur. Alii judicem laicum dicunt competentem, quod Clerici novum opus facientes, videntur speciem actoris sustinere, & vicinos ad sua jura tuenda provocare (*d*): contra alii novum opus Clericis in foro ecclesiastico nunciandum sentiunt (*e*), quod in novi operis nunciatione possessorem adversarium facimus (*f*), & inde Clerici novi operis auctores, tanquam rei, coram proprio judice debent conveniri. Ergo judices laici ad controversias evitandas, dum novum opus Clericis nunciatur, non Clericis ipsis, sed laicis eorum operariis inhibent, ne ultra procedant, ut opere sic impedito, Clerici inde sponte sua in foro sæculari agant, si velint contrario ipsius judicis imperio amovere impedimentum. Quam procedendi formam regia pragmatica anno CIↃIↃCCXXXVIII. §. 1. *n.* 10. probare videtur, dum hanc decreti consuetam formam refert, *fabricatores desistant.*

Cle-

(*a*) De Marin. lib. 2. Resolut. c. 44.
(*b*) Conf. Felix Cappell. animad 34. in cit. c. 44. de Marinis.
(*c*) Cap. 3. ext. de Novi oper. nunciat.
(*d*) Saufelic. tom 3. decis. 379.
(*e*) Card. Ant. de Luca ad de Franchis decis. 656. post Gutierrez cons. 48. & alios.
(*f*) L. 1. §. 6. D. de Novi oper. nunciat.

Clerici diffamantes in foro laico conveniuntur.

§. VI. Causis civilibus, quæ contra Clericos in sæculari foro agitantur, doctores nostri judicium diffamationis addiderunt, puta Clerici alicujus jactantia extrajudiciali jus alteri esse negetur, aut justus possessor tanquam non justus traducatur. In judicio diffamationis, quod jure civili tantum in specie diffamatæ ingenuitatis proditum est (*a*), usu vero fori ad omnes alias causas, sive civiles, sive criminales extenditur (*b*), licet diffamato judicem adire & ea de re conqueri, suaque jura ultro tueri & probationibus demonstrare: judex vero vocata parte adversa, si ea non compareat, potest ac debet auditis diffamati allegationibus sententiam proferre, ne deinceps ejus status & jura turbentur. Competens vero judex est potius judex diffamati, quam jactatoris; agitur enim de juribus diffamati, & præterea jactator videtur accusare & veluti reum facere: & hinc si velit diffamationem probare verus actor censetur. Quæ quum ita sint, veluti sponte sua à doctoribus conclusum est, judicium diffamationis, ubi Clerici laicos diffamant, in sæculari foro agitandum esse, nec Clericos esse audiendos, si velint forum declinare (*c*); habentur enim tanquam actores, atque adeo coram judice diffamati jus suum tueri debent. Tantum ubi laicus, qui diffamatus est, plures judices habet competentes, licere Clerico tenent doctores nostri coram eorum uno comparere & sua jura proponere antequam in citantem consentiat, idque ne actor jure suo seligendi unum ex pluribus judicibus competentibus privetur (*d*).

Item si post citationem rem controversam adquirant.

§. VII. Fori privilegio item non juvari Clericos tradunt doctores nostri, si rem, de qua apud judicem laicum lis instituta est, quocunque demum titulo accipiant, adquirantque. Jure Romano si res controversa judicii mutandi causa alienetur, actori datur electio, utrum malit à possessore rem vindicare, an cum eo, qui rem alienavit, actione personali in factum experiri (*e*). Et in decretalibus censura ecclesiastica percelluntur Clerici, qui res vel actiones judicii mutandi causa à laicis sibi cedi curant; at fori privilegio privari non videntur (*f*). Sed in regno Apuliæ à Regibus Andegavensibus statutum est, ut quo casu conventus apud judicem rem vel ejus possessionem in alium, sive scientem, sive ignorantem alienaverit, aut transtulerit, judicium non mutetur, & con-

(*a*) L. 5. C de Ingen. manumis.
(*b*) Ant. Perezius in c. lib. 7. tit. 14. n. 10.
(*c*) Conf Capit. decis. 18., & Ricc. ad de Franchis decis. 585.
(*d*) Conf. de Franchis decis 385.
(*e*) L. un. C de Alienat. judicii mutandi causa facta.
(*f*) Cap. 2. ext. de Alienat. judicii mutandi causa.

conventus ipse judicio stare cogatur (*a*). Generalis est hæc sanctio, nec in specie Clericos memorat; at inde concluserunt doctores nostri, Clericos non juvari fori exceptione, si res litigiosas à laicis adquirant; sed cogi coram judice alienantis, qui cognoscere cœperat, judicium suscipere (*b*), præsertim quando hujusmodi fraudes in ipsis decretalibus censura irrogata puniuntur.

Quis judex Clericorum in causa publici officii.

§. VIII. Moribus quoque multarum regionum receptum est, ut Clerici ratione tutelæ, vel curæ, aut alterius officii sæcularis, quod administrarunt, in foro laico conveniantur (*c*). At inter nostros ea de re disputatur. Alii tenent, rationes in foro laico reddendas, ad solutionem vero Clericos in foro ecclesiastico compellendos (*d*). Contra alii opinantur, tantum in ecclesiastico foro posse Clericos compelli ad tutelæ alteriusve officii profani rationes reddendas (*e*). Interim quod Clerici jure canonico indigni reputantur Ecclesiæ patrocinio, si profanas administrationes, à quibus debent esse alieni, suscipiant (*f*), videtur dicendum, Clericos fori privilegio excidere, saltem si in casibus jure vetitis tutelas & curas gesserint. Quidquid vero hujus rei sit, ad vitandas quæstiones in nostris tribunalibus mos invaluit, ut Clerici tutelam, administrationem, aut depositum in foro laico non accipiant, nisi ibidem laici fidejussoris cautionem præstent, quem dimissa Clerici persona, inde laicus judex ad rationes & restitutionem compellit.

Citatus si inde fiat Clericus caret fori privilegio.

§. IX. Jam in omnibus profanis causis si quis post citationem ab judice laico factam in Clericum sit adscitus, is fori præscriptione non juvatur, & causam prosequi debet apud judicem qui judicium cœpit. *Si quis postquam in jus vocatus est*, inquit Ulpianus (*g*), *miles, vel alterius fori esse cœperit, in ea causa jus revocandi forum non habebit, quasi præventus*: idque generaliter & in omnibus hujuscemodi casibus observandum idem jurisconsultus tradit (*h*). Nec alia est decretalium sententia; rescripsit siquidem summus Pontifex Gregorius IX., citatum à suo judice ad causam, jus revocandi forum non habere, si postmodum alterius jurisdictionis esse cœperit (*i*). Eadem ratione si lis cœpta sit cum defuncto laico Clericus

(*a*) Cap. *Conventus* de Conventis, qui alienant. possess.
(*b*) Conf. Card. Ant. de Rosa Prax. civil. part. 1. c. 2. dist. 3. n. 32.
(*c*) Conf. Espen. part. 3. tit. 1. c. 4.
(*d*) Regens de Marinis lib. 1. Resol. c. 53.
(*e*) Rovit. in pragm. 1 de Cleric & Diac. silvat. n. 5. & decis. 20.
(*f*) Cap. 2. ext. Ne Clerici vel Monachi.
(*g*) L. 7. D. de Judic.
(*h*) L. 19. D. de Jurisd.
(*i*) Cap. 19. ext. de Foro comp.

cus ejus hæres eam in eodem foro prosequi debet, nec habet jus revocandi forum, etsi reus sit, quia succedit in ejus locum, à quo hæres relictus est (*a*), atque adeo post cœptum judicium alterius fori fictione juris factus videtur. Contra ubi nova lis ex integro in Clericum hæredem instituitur, nec in decreto, quo ei hæreditas tributa est, jura cujuslibet in foro laico reservata sunt, ecclesiasticus judex competens, non laicus censetur.

Clerici in foro laico recte reconveniuntur.

§. X. Porro Clericus, qui apud judicem laicum experitur, reconveniri apud eundem judicem recte potest, etsi alias agentis judex esset incompetens. *Qui non cogitur in aliquo loco judicium pati*, inquit Paulus (*b*), *si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones, & ad eundem judicem mitti.* Et Justinianus statuit, licere judici, qui reum absolverit, actorem è contrario condemnare, si reus vicissim ab eo aliquid petierit, nihil obstante exceptione, quod non competens judex agentis esse cognoscatur: *cujus enim in agendo observat arbitrium, eum habere & contra se judicem in eodem negotio non dedignetur* (*c*). Juris civilis regula de reconventione apud eundem judicem iisdem pene Justiniani verbis sub Zephyrini Papæ ficto nomine apud Gratianum refertur (*d*), & in decretalibus Pontificum probatur (*e*). Hinc in judicio reconventionis victus Clericus sententiæ judicis laici, ubi ea transiit in rem judicatam, parere debet, alias implorata Episcopi manu in eum executio etiam per personæ coactionem fiet (*f*): aut sine ullo Episcopi auxilio judex in laicum, qui pro Clerico apud acta satisdedit de stando juri, & solvendo judicatum, sententiam exequetur: excipiendæ tamen sunt causæ omnes criminales (*g*), & spirituales, in quibus reconventio non admittitur; itemque illæ, in quibus Clericus nomine Ecclesiæ judicio experitur, in quo ipsum proprio nomine nemo quiverit reconvenire: & generatim omnes, in quibus leges reconventionem non admittunt.

Clerici rei majestatis fori privilegium non habent.

§. XI. Quod vero spectat ad causas criminales, etsi in Gallia & multis aliis christianis provinciis Clericorum gravia crimina à judicibus regiis vindicantur; tamen in regno Apuliæ pauca crimina sunt, quæ Clericos foro sæculari subjiciunt. Tale in primis est cri-

(*a*) Conf. Covarrubias Pract. quæst. c. 8. n. 3., Paul. de Castro in l. *Hæres absens* de Judiciis n. 2.
(*b*) L. 22. D. de Judic.
(*c*) L. 14. C. de Sentent. & interloc.
(*d*) Can. I. c. 3. q 8.
(*e*) Cap. 1. & 2. ext. de Mut. petitionib.
(*f*) M. A. Genuens. in Praxi cur. Archiep. Neap. c. 12.
(*g*) L. 1. & 19. C. de His qui accusare, Can. IV. c. 3. q. 11.

crimen læsæ Majestatis, quod Rex Gulielmus II. dum fori privilegium Clericis confirmavit, nominatim excepit, & civili imperio reservavit (*a*). Qua in re Gulielmus discessit à placitis Regum Francorum & Gothorum in Hispania, qui judicio de Episcopis & Clericis abstinuere, etiam in crimine majestatis, & res derelicta est Episcoporum Concilio, ne sanctissimus ordo judicis laici cognitione dehonestaretur (*b*). Inde regno ad Andegavenses translato, pactis conventis inter Clementem IV. Pontificem & Carolum I. à fori privilegio solæ causæ feudales nominatim exceptæ sunt: quod Carolus II. inde confirmavit (*c*). Fuerunt quidem Reges Andegavenses Pontificibus addicti, & in multis articulis facile passi sunt regiam in Clericos jurisdictionem deminui; at minime abrogasse videntur Gulielmi constitutionem, qua in crimine majestatis Clerici publicis judicibus addicuntur. Sunt enim nonnulla crimina, quæ omnem honorem excludunt (*d*): nec videtur Princeps ei, qui contra majestatem admittit, privilegium concessisse. Et quamvis pacta conventa tantum à Clericorum fori privilegio solas causas feudales exceperint: tamen crimen majestatis natura sua privilegio non comprehensum censebatur; pacta enim inter Principes sic accipienda sunt, ut quam minimum jura majestatis lædant.

Item in assassinii *crimine.*

§. XII. Porro in crimine *assassinatus* seu *assassinii* Clerici in foro laico puniuntur, utpote qui crimine admisso cadunt ipso jure fori privilegio. Assassini erant populi, qui suo Principi addicti in montibus Phœniciæ morabantur (*e*), eorumque opera Sarraceni utebantur ad occidendos ex insidiis christianos Principes, ut eorum nece belli patrii molem à se averterent (*f*). Ex Phœnicia in Occidentis provincias assassini permearunt: & hinc Synodus Lugdunensis officio & privilegio clericali spoliavit Clericos, qui illorum opera christianum quenquam interficerent, vel interfici mandarent, etsi mors secuta non esset: addiditque non aliam degradationis sententiam requiri, ubi probabilibus argumentis constiterit, Clericum tam execrabile scelus admisisse (*g*). Ita ipso jure Clerici hujus criminis rei laicæ jurisdictioni subjecti sunt. Sed assassinorum appellatio inde translata est ad sicarios, homicidas, grassatores omnes, præsertim eos, qui in cædem hominis suas locant operas, aut conducunt alienas (*h*). Interim disputatur, utrum judex laicus de

(*a*) Const. *de Personis* tit. Ubi Clericus in maleficiis debeat conveniri.
(*b*) Conf. Alteser. de Jurisd. lib. 5. cap. 4.
(*c*) Can. *Item statuimus* XCIV. tit. de Non trahend. Cleric.
(*d*) L. 1. C. Ubi Senatores.
(*e*) Cang. v. *Assassini.*
(*f*) Conf. Alteserra de Jurisd. eccl. lib. 5. c. 3.
(*g*) Cap. 1. de Homic in 6.
(*h*) Skenæus ad leges Scoticas.

de assassinii qualitate poterat judicare, an vero oporteret sententiam judicis ecclesiastici præcedere, quæ Clericum revera crimen admisisse declararet, ut ita laicus judex in Clericum procederet. Edidit quidem Clemens VIII. bullam, qua decrevit, *declarationem criminis assassinii ad judicem ecclesiasticum omnino pertinere* (*a*); at in hoc regno & ante & post Clementis bullam judices regii in Clericos assassinii reos inquirere & animadvertere consueverunt sine ulla judicis ecclesiastici declaratione (*b*). Tandem pactis conventis placuit ut quo casu Clericus veluti assassinii reus habeatur, & laicus judex capturam præveniat, captum carcere sæculari Ecclesiæ nomine detineat, & acta judicialia conficiat; sed antequam ad sententiam ejusque executionem deveniat, confecta acta intra menses quatuor ad tribunal mistum transmittat, cujus erit, cognitis actis, reoque audito, super qualitate assassinii pronunciare (*c*).

Quis judex in criminibus atrocioribus Episcoporum.

§. XIII. Jam vero mores & leges provinciarum, quibus Clerici in criminibus civilibus gravioribus judicio & animadversioni magistratuum subjiciuntur, præcipue spectant Presbyteros aliosque inferiores Clericos, non Episcopos: nam *hactenus non scimus*, inquit Espenius (*d*), *ad Episcopos laicam jurisdictionem ratione criminis, quantumvis atrocis, esse extensam.* Hinc in actis cleri Gallicani refertur Regis Galliæ declaratio VI. Kal. Majas anni MDCLVII. emissa, qua habetur, judicium contra Episcopos in crimine læsæ Majestatis instrui per judices ecclesiasticos secundum canonicas sanctiones & formam in regno consuetam. Et id quidem recte in Gallia & in aliis provinciis, ubi obtinet, ne quis etiam volens extra regnum ex quavis causa judicari possit; nam ubi tale jus non viget, nescio, an Principes patiantur, crimina læsæ Majestatis ab Episcopis admissa extra sui territorii fines vindicari.

De judice in causa dubii clericatus.

§. XIV. Illud commune est tam criminalibus quam civilibus judiciis, ut quæstio facti, utrum quis Clericus sit, nec ne, quæ apud judicem laicum incidat, apud eundem agitari debeat: atque adeo in hac specie non auditur reus, qui clericatus proposita exceptione laici judicis jurisdictionem vitare intendit, donec de clericatu constet. Jure decretalium cognitio ista ad judicem ecclesiasticum pertinet; tantumque laico judici conceditur reum in habitu clericali deprehensum & captum, qui antea tanquam laicus vivebat, apud se

(*a*) Bul. *Aqua & circunspecta.*
(*b*) Conf. Capicius dec. CXII. & CLV.
(*c*) Concord. cap. 3. n. 3.
(*d*) Espen. part. 3. tit. 3. cap. 4.

se retinere, quousque clericatus demonstretur (*a*). At in plerisque christianis provinciis contrarium moribus aut legibus receptum & statutum est, atque adeo clericatus exceptio apud laicum judicem proposita apud eundem cognoscitur & deciditur. Et in regno Apuliæ ex inveterata consuetudine ritibus M. Curiæ confirmata, si quis per exceptionem clericatus velit judicis laici jurisdictionem declinare, debet coram eodem *principaliter* comparere, & legitima sui clericatus documenta ostendere (*b*). Sane facti quæstio hæc est, & quæ facti sunt, ea temporalia esse non ambigitur. Item quisque origine sua subjectus est publicæ jurisdictioni ejus loci, in quo moratur, ac proinde si vocetur à magistratu, debet comparere privilegia sua allegaturus & probaturus (*c*), alias confusio in civitatem induceretur. Dum vero judex apud nos in clericatum inquirit, statim ac reum Clericum esse cognoscit, eum ad proprium judicem transmittere debet, etsi cætera judicii solemnia deficiant: quo spectant verba ritus, *& raro dictus processus finitur.* Vult etiam ritus, ut Clericus *principaliter* clericatum tueatur: quod intelligendum videtur secundum regulas juris communis, ut tantum in criminalibus cogatur Clericus *personaliter* coram judice laico comparere ad sua privilegia probanda: nam in causis civilibus nulla esse potest ratio, cur eidem non liceat se per procuratorem tueri, ut Franc. Rapolla recte observat (*d*). Cæterum si reum fuisse ordinatum constet, dubitetur vero de ipsa vi ordinis, est hæc quæstio juris ex sacris Canonibus decidenda, ac proinde ad Episcopos ableganda.

CAPUT VIII.

De causis majoribus.

In causis majoribus celebriores Episcopi consulti.

§. 1. Jure canonico novo sunt multæ causæ *majores* dictæ, quæ potestatis episcopalis modum excedunt, & Sedis Romanæ judicio reservantur: quod jus sensim & veluti per gradus invaluit; multis enim sæculis nullæ hoc sensu fuerunt majores causæ, quæ per solum Romanum Pontificem cognosci & tractari deberent. Et olim quidem causæ majores præsertim censebantur, quæ dubiæ fidei & disciplinæ erant, integrumque erat Episcopis de iis cognoscere & judicare. Tantum Ecclesiarum confœderata disciplina postulabat, ut de rebus arduis relationes ad alias Ecclesias mitterentur, sive jure subjectionis, sive ut unius Ecclesiæ legalia acta aliis innotescerent, sive ut à majoribus Ecclesiis lumen, & consilium mutuarent. Ita Episco-

(*a*) Cap. 12. de Sens. excomm. in 6.
(*b*) Rit. CCXXXV.
(*c*) L. 2. D. Si quis in jus vocatus.
(*d*) Rapol. de Jure regni part. 1. lib. 1. c. 7. n. 11.

copi Metropolitanis & Patriarchis suis referre tenebantur, teste Hieronymo (*a*), idque receptæ metropoliticæ & patriarchali potestati erat consentaneum, quæ id exigebat, ne quid magni momenti in provincia aut diœcesi præter Metropolitani aut Patriarchæ sententiam ageretur. Omnes vero Episcopi in rebus arduis majores sedes, & illustriores Episcopos, etsi illis subjecti non essent, consulebant, ut, quid in proposita specie facere aut sentire oporteret, rescriberent, cujus rei multa exempla in antiquis monumentis occurrunt, constatque etiam ab ipsa Romana Ecclesia Cyprianum fuisse consultum.

Præcipue vero consultus summus Pontifex.

§. II. Quoniam vero Ecclesia Romana principatu quodam vigebat, & ecclesiasticæ unitatis centrum erat, ad eam in rebus arduis & dubiis præcipuo jure relationes mittebantur, & quidem ab omnibus provinciis si de dubia fide ageretur; in rebus vero disciplinæ præcipue ab Ecclesiis Occidentis, quæ peculiari nexu Sedi apostolicæ adhærebant. Moribus hoc jus Romanæ Sedis primum invaluit, illudque omnium maxime Innocentius I. promovit & inculcavit, qui etiam in eam rem Synodi auctoritatem profert: *si majores causæ*, sunt Pontificis verba (*b*), *in medium fuerint devolutæ, ad Sedem apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.* Synodus autem illa, cui testimonium Innocentius denuntiat, non alia videtur fuisse quam Sardicensis, ut recte Constantinus observat (*c*), in epistola enim illius Synodi ad Julium Patres contestati sunt, optimum esse & disciplinæ accommodatum, si ad Petri Apostoli Sedem de omnibus provinciis Sacerdotes referant. Mittebantur vero relationes istæ de dubia fide & disciplina ad summum Pontificem, aut post episcopale judicium, aut rebus adhuc integris, si ita Episcopis videretur, ut Pontificis responsione episcopali sententiæ robur accederet (*d*), aut quid in proposita causa justum esset, ab apostolico fonte manaret. Quod si adhuc re integra consultatio ad Pontificem mitteretur, id non arguebat causam primæ sedi esse reservatam, sed tantum voluisse Episcopos prius audire oracula Romanæ Ecclesiæ, in qua puritas fidei & disciplinæ sincerius vigebat, quam de re dubia quidquam statuere.

Causas majores Leo M. sibi reservat.

§. III. Novæ disciplinæ, quæ majores causas Sedi apostolicæ aperte reservat, prima veluti fundamenta jacta sunt, ubi per Occidentem majorum urbium metropolitis vicariatus Sedis apostolicæ com-

(*a*) Hieronym. ep. LXI.
(*b*) Innoc. I. ep. ad Victric. Rothomag.
(*c*) Constant. collect. epist. RR. Pontif. not. in cit. Innocentii epist.
(*d*) Epist. Conc. Milevit. ad Innocent. I.

communicari cœpit. Et profecto Leo M. in litteris ad Anastasium Thessalonicensem (*a*), quibus eidem jam quæsitam apostolicæ Sedis vicariatus prærogativam confirmat, & novis juribus auget, causas majores & difficiles aperte excipit, sibique reservat; idque non tam defectu potestatis in metropolitis, quam ex incurrentium quæstionum difficultate. *Si qua causa major emerserit, quæ à tua fraternitate illic præsidente non potuerit difiniri, relatio tua missa nos consulat, ut revelante Domino cujus misericordiæ profitemur esse, quod possumus, quod ipse nobis adspiraverit, rescribamus.* Causarum majorum nomine non tantum dubias fidei & disciplinæ causas summus Pontifex videtur intelligere, sed generaliter quæstiones, quæ præ difficultate in provincia definiri non poterant. Facile vero erat summis Pontificibus, dum vicariatu Sedis apostolicæ ampliores metropolitas augebant, majores causas excipere, sibique reservare: nam isti spe majoris potestatis vicariatum apostolicum quibusque conditionibus admittebant. Nimirum in diœcesibus Occidentis, si præfecturam Romanam excipias, nulli videntur fuisse Patriarchæ, & Romani Pontifices, ut hiatum illum veluti supplerent, pontificiam legationem, qua patriarchalia jura continebantur, metropolitis majorum civitatum committere cœperunt: qua legatione accepta, metropolitæ potestatem suam in plures provincias extendebant, & pallium, quod erat pontificia, & satis præclara vestis, induebant. Ita à quinto sæculo vicariatus apostolici appetentissimi esse cœperunt Occidentis metropolitæ: eumque etiam metropoliticæ potestatis dispendio accipiebant. (*b*). Cæterum Vicarii initio non videntur mandatis apostolicis per omnia morem gessisse: quæritur enim ipse Leo M., Anastasium causam Attici Epiri metropolitæ, quam majorem habet, inscio Pontifice tractasse (*c*). Et in provinciis, ubi nulli fuerunt perpetui Sedis apostolicæ Vicarii, reservatio causarum majorum incognita videtur fuisse.

Reservatio causarum majorum in falsis decretalibus proposita.

§. IV. Sic proposita de causis majoribus per Pontifices doctrina in falsis decretalibus, quas Isidorus Mercator noni sæculi initio evulgavit, confirmatur, laicus extenditur, & tanquam jure divino instituta & consecrata exhibetur. *Cujus*, hoc est Pontificis, *dispositioni*, sunt verba Mercatoris sub Sixti II. nomine (*d*), *omnes majores ecclesiasticas causas, & Episcoporum antiqua judicia Apostolorum eorumque successorum atque Canonum auctoritas reservavit.* Et sub Felicis I. nomine (*e*), *semper dubia & majora negotia terminum ab*

(*a*) Leo M. ep. IV. edit. Quesnel.
(*b*) Conf. dicta part. 1. cap. 13 §. 9.
(*c*) Leo M. ep. XII. edit. Quesnel.
(*d*) Epist. Sixti II. ap. Blondel. in Pseudo-Isidoro p. 334.
(*e*) Epist. Felic. I. apud eundem p. 363.

ab hac sancta Sede à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consuescunt. Et ut plura hujus furfuris mittam, sub Marcelli nomine ita impostor fatur (*a*): *nec ab ejus* (Sedis Romanæ) *dispositione vos deviare oportet, ad quam cuncta majora ecclesiastica negotia, divina disponente gratia, jussa sunt referri, ut ab ea regulariter disponantur, à qua sumsere principia.* Quin ut eo fortius soli Pontifici causas majores Mercator adsereret, auctoritatem provincialium Synodorum deminutum ivit, vulgata sub venerando antiquorum Pontificum nomine doctrina, Synodos provinciales Pontifice inconsulto haberi non posse, nec Episcopos eodem inscio posse damnari (*b*).

Reservatio causarum majorum qui recepta.

§. V. Verum enimvero quamvis magnificis verbis doctrina de causis majoribus jure divino Sedi apostolicæ reservatis sub nomine antiquorum Pontificum proposita sit; non tamen statim in usum deducta est. Nimirum Gallicani Episcopi diu canonicam vim novitatibus Isidorianis denegarunt, & Pontificibus eas propugnantibus restitere (*c*). Quin sub Carolo Calvo Gallicani Episcopi adsensum non præbuere mandatis apostolicis, ut majora & difficiliora negotia Sedi apostolicæ decidenda referantur (*d*): quæ mandata Ansegisus Senonensis per Galliam & Germaniam Sedis apostolicæ vicarius proposuit. Sed lapsu temporis ubi Episcopi Gallicani falsarum decretalium auctoritatem agnoverunt, sponte sua majores causæ veluti Pontifici reservatæ cœperunt haberi. Accessit post sæculum nonum integra ferme cessatio Synodorum provincialium ad Romanam Sedem provocationes, & negligentia Episcoporum jura sua minus strenue vindicantium. Eo quoquo multum contulerunt legati Sedis apostolicæ, qui à tempore Nicolai I. eum ingenti potestate per provincias magno numero missi, omnia ferme Episcoporum atque metropolitarum jura ad se, atque adeo ad Sedem apostolicam, traxerunt (*e*). Ita per usum constabilita disciplina, quæ causas majores Sedi apostolicæ addicebat, Innocentius III. eam prærogativam ab jure divino derivare studuit, eoque retulit locum Deuteronomii, quo Deus in gravi difficultate ad summum Sacerdotem ejusque Concilium recurrendum disposuit (*f*): quo ipso veteris fœderis œconomiam non bene Ecclesiæ accommodavit.

Quæ sint causæ majores.

§. VI. Doctrina de causis majoribus uni Pontifici reservatis constabilita, illud supererat, ut quæ essent causæ majores in specie de-

(*a*) Epist. I. Marcelli ap. eundem p. 393., Can. XV. c. 24. q. 1.
(*b*) Can. VII. & IX. c. 3. q. 6.
(*c*) Conf. superius dicta in proleg. cap. V. §. 4.
(*d*) Ap. Labb. coll. Concil. tom. IX. col. 281.
(*e*) Conf. Gregor. Zallwein Princ. jur. eccles. tom. I. q. 4. cap. 3. §. 4.
(*f*) Cap. 13. ext. Qui filii sint legitimi.

definirentur: quod Pontifices, præsertim Innocentius III., variis editis decretalibus fecerunt. Initio sæculi XIII. jam per omnium ora volitavat juris regula, *majores causas maximos requirere judices*, & conveniebat, inter omnes judices ecclesiasticos præsertim Pontificem eminere. Ergo inter causas majores relatæ causæ fidei, depositiones, translationes, renunciationes, postulationes Episcoporum, conjunctiones & divisiones Ecclesiarum cathedralium, exemptiones à potestate Episcoporum, relatio in censum Sanctorum, relaxationes Canonum in causis majoris momenti, absolutio in gravioribus delictis, approbatio ordinum religiosorum, fundatio Ecclesiarum collegiatarum, creatio novarum dignitatum, datio episcopalium coadjutorum, & hujus generis aliæ, quas omnes Alteserra persequitur (*a*). Nos variis hujus operis locis multa harum causarum exhibuimus, nunc tantum de causis fidei, judiciis contra Episcopos, & relatione inter Sanctos disseremus.

Episcopi olim in quæstionibus fidei judicabant.

§. VII. Ut à primo exordiar, causæ ad fidem pertinentes etsi in veteri disciplina majores haberentur; non tamen summo Pontifici erant reservatæ, sed ab Episcopis agitabantur & decidebantur. Sane Episcopi primigenii sunt in causis fidei judices, utpote qui ejus depositum ab Apostolis acceperunt, & divina auctoritate regendis Ecclesiis præponuntur. Quapropter ab initio Ecclesiæ in nascentes errores hæresesque sollicite inquisiverunt, & pro sua auctoritate in Synodis, ut primum detexerant, confixerunt & damnarunt. Ita errores Eustathii in Synodo Gangrensi, Pelagii & Cælestii in Milevitana damnati sunt, & in actis Synodi Chalcedonensis Leonis Papæ legati ad Synodum referunt, Eutychen *regulariter damnatum à proprio Episcopo Flaviano.* Errores quoque Gotescalchi Monachi anno DCCCXLVIII. in Concilio Maguntino, hæresis Berengarii anno MLV. in Synodo Turonensi, & novitates Abaelardi anno MCXL. in Senonensi damnatæ sunt. Quin observatum viris doctis, nullam pene hæresim per Synodos generales olim damnatam fuisse, quam non prius Episcopi decretis suis confodissent (*b*). Quæ quidem decreta sæpe tanti ponderis fuerunt, ut multæ hæreses eorum auctoritate sine ulteriori judicio extinctæ sint, cæteris nempe Eccles is factæ damnationi adsentientibus, ut videre est in Eustathianis, Arianis, Collyridianis, quos in provinciarum Synodis damnatos, non legimus majori judicio inde confossos fuisse.

Quod inde summo Pontifici reservatum est.

§. VIII. Integra multis sæculis stetit Episcoporum auctoritas in trac-

(*a*) Alteser. de Jurisd. lib. 10.
(*b*) Conf. Febron. de Statu eccles. cap. 4. §. 2.

tractandis fidei controversiis: at circa sæculum decimum falsis decretalibus sub nomine primorum Pontificum per Occidentem receptis, & præsertim jam edita Gratiani concordia, quæstiones fidei, veluti majores & difficiles causæ, ad Sedem apostolicam reservari cœperunt. Hinc Romanæ Ecclesiæ Cardinales ægre passi sunt, Episcopos Gallicanos in Synodo Remensi anno MCXLVIII. contra Gilbertum Porretanum fidei symbolum condidisse, quasi nefarium esset quidquam ea de re citra Pontificis auctoritatem statuere, *nulli fas est circa fidem quidquam determinare citra Romani Pontificis auctoritatem*, quod fuse apud Baronium refertur (*a*). Eundo doctrina ista crevit, & tempore Innocentii III. eo usque invaluerat, ut hic Pontifex de baptismo parvulorum interrogatus præmittendum censuerit, *majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas* (*b*), tanquam quæ ad unius Sedis apostolicæ judicium pertinerent; nam hoc sensu Innocentius verbum *referre* videtur usurpare. Hoc Innocentii responso in decretales auctoritate Gregorii IX. collectas conjecto, inde concluserunt earum interpretes, ad solum Romanum Pontificem spectare de causis dubiæ fidei *judicialiter* decernere. Verum doctrinam hanc veluti traditioni apostolicæ, & Episcoporum auctoritati omnino adversam Episcopi multi & præsertim Gallicani non admiserunt: & hinc de quæstionibus fidei deinceps cognoverunt & judicarunt, etsi contra Romani Pontifices niterentur: quod pluribus Espenius probat (*c*).

Causæ contra Episcopos in Synodo provinciali tractatæ.

§. IX. Porro causæ Episcoporum ex veteri disciplina in Synodis provincialibus tractabantur, etsi illi gradu suo dejici, aut de una in aliam Ecclesiam transferri deberent. Nimirum ubi Ecclesia in parœcias & provincias tributa est, Synodus provincialis proprium causarum omnium, quæ contra Episcopos moveri possent, auditorium evasit, justum quippe visum fuit, causas illic tractari, ubi accusatores & testes facile haberentur (*d*). Moribus hæc disciplina primum invaluit, deinceps in Synodo Nicæna confirmata est, edito Canone, quo præcipitur, causas omnes in provincia exortas in provinciali Synodo examinari & finiri debere (*e*): quo quidem Canone etiam causas contra Episcopos comprehensas fuisse Synodus Constantinopolitana, Innocentius I. & Patres Africani docent (*f*). Item Synodus Antiochena aperte habet, Episcopum de criminibus accusatum in Synodo provinciali debere judica-

(*a*) Baron. ad an. 1148. n. 16.
(*b*) Cap. 3. ext. de Bapt.
(*c*) Espen. part. 3. tit. 4. cap. 2.
(*d*) Cyprian. ep. LV. edit. Pamel.
(*e*) Conc. Nicæn. Can. V.
(*f*) Conc. Constantinop. I. Can. II. Innocent. I. ep. ad Victric. cap. 3. Can. 138. Cod. Afric.

cari, tantumque illud addit, à metropolitano vicinæ provinciæ Episcopos vocandos esse, ut simul in Synodo judicent, si Episcoporum provinciæ suffragia in contrarias partes scindantur (*a*). Quibus aliisque similibus regulis consonat usus, quo constat, per plura sæcula Episcopos in provinciæ suæ Synodis judicatos fuisse (*b*). Tantum in Africana & aliis paucis Ecclesiis ad tractandas causas contra Episcopos veluti extraordinaria Synodus, quæ duodecim Episcopis constabat, cogebatur (*c*). Ingens erat in Africanis provinciis numerus Episcoporum, ut permolestum esset in singulas criminales Episcoporum causas provincialem Synodum haberi; hinc si extra statum habendæ Synodi tempus deferri Episcopum contingeret, Episcopi duodecim cum primate conveniebant (*d*).

Canones Sardicenses de judiciis contra Episcopos.

§. X. Disciplina veteris Ecclesiæ, quæ habet, causas Episcoporum in Synodo provinciæ primo judicio tractari & judicari debuisse, per Patres Sardicenses quoque, sed non sine aliqua additione, confirmata est. Nimirum ad honorandam B. Petri memoriam statuerunt, ut si damnatus in Synodo Episcopus putaverit se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur, scribatur ab Episcopis, qui causam examinarunt, Episcopo Romano: & si is putaverit judicium renovari debere, renovetur, & quidem accitis à finitima provincia Episcopis, quibus ille scripserit, vel misso pro ejus arbitrio à latere legato, qui cum Episcopis sedeat & judicet (*e*). Hæc est vera sententia Canonum Sardicensium, quibus non appellationes à judiciis Synodorum decernuntur, sed potius Romano Pontifici datur facultas decernendi, ut pro sapientia sua judicet, num latum judicium iterum in provincia tractari debeat (*f*). Dum vero vult Synodus, ut quo casu judicium arbitrio Pontificis debeat renovari, adhibeantur vicinæ provinciæ Episcopi, dubio procul Synodum provinciæ non excludit, sed finitimi Episcopi provincialibus adjunguntur, quod multis Dupinus probat (*g*). Fuit hæc regula tempori accommodata, ut judicii renovatione impetrata Episcopi sublevarentur, qui ea ætate per Orientem hæreticorum potentia & machinis in Synodis opprimebantur, cujus rei in causa Athanasii elucet exemplum (*h*). Cæterum Canones Sardicenses longo tempore nec in Occidente recepti sunt, quod in tractatu de appellationibus demonstrabitur.

Qua

(*a*) Conc. Antioch. Can. XV. & XVI.
(*b*) Conf. Fleuryus diss. IV. in Hist. eccles. n. 3.
(*c*) Can. III. & seq. c. 15. q. 7.
(*d*) Conf. Christ. Lupus in dict. Gregorii VII. Can. XXV.
(*e*) Conc. Sardic. Can. III. & V.
(*f*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 7. cap. 3.
(*g*) Dupin. diss. II. de Eccles. discipl. cap. 1. §. 3.
(*h*) Conf. Richerius Hist. Concil. general. cap. 3. n. 4.

Qua ratione olim Pontifices deponebant Episcopos.

§. XI. Quamvis autem Synodus provincialis ordinarium esset auditorium, in quo Episcopi damnari & gradu suo dejici deberent: tamen in veteri disciplina aliquando contingebat, ut Romani Pontifices omnium primi Episcopos damnarent: quorum judiciorum plura extant exempla, sed instar omnium sit Nestorii causa. Nimirum ubi Ecclesiæ universalis fidem Nestorius nefaria doctrina corrumpere cœpit, Cyrillus Alexandrinus ad Cælestinum Pontificem retulit, qui statim ac intellexit Nestorii doctrinam rectæ fidei adversari, coacta Synodo illum à communione sua, & ab Ecclesia Constantinopolitana dejecit, nisi intra decem dies nefariam doctrinam ejuraret, cujus sententiæ executionem Cyrillo & Joanni Antiocheno demandavit (*a*). Verum in causa Nestorii non ordinario judicio Cælestinus cognovit & sententiam dixit, sed potius quod causa ad Sedem Romanam relata esset; & relatione in causis fidei accepta, summi Pontificis hæ profecto erant partes, ut statim hæreses damnaret, & contumaces gradibus suis pellendos decerneret. Cæterum tanquam summum & supremum Cælestini judicium habitum non est; etenim Pontificis sententiam Cyrillus amplexus est, non item Joannes Antiochenus & alii Orientales, qui Nestorium defenderunt. Hinc exortum dissidium, cui componendo Synodus Ephesina indicta est, quæ Nestorium deposuit (*b*).

Causæ metropolitarum patriarchis reservantur.

§. XII. Nec tantum Episcoporum causæ, verum etiam ipsorum metropolitarum in Synodis provincialibus tractabantur: erat quippe metropolita princeps Synodi provincialis, at ejusdem judicio suberat, idque ex Canonibus Nicænis, qui totius provinciæ administrationem Synodo provinciali tribuerunt, quod Synodus Constantinopolitana testatur (*c*). At institutis Patriarchis, quorum auctoritas in plures provincias extendebatur, Synodus Chalcedonensis metropolitarum causas ad diœcesis exarchum seu Patriarcham deferri voluit. *Si Clericus cum proprio vel etiam alio Episcopo negotium aut litem habeat, à provinciæ Synodo judicetur; si autem cum ipsius provinciæ metropolitano Episcopus vel Clericus controversiam habeat, diœcesis exarchum adeat, vel imperialis urbis Constantinopolis thronum, & apud eum litiget* (*d*): quod deinceps alio Canone eadem Synodus confirmavit (*e*). Hujus mutationis causam eam fuisse Dupinus opinatur, quod metropolitani in Synodis provinciæ magna auctoritate pollerent,

(*a*) Conf. Nat. Alexander sæc. V. Hist. eccles. c. 3. art. 12.
(*b*) Conf Dupin. diss. II de Antiq. eccles. discipl. c. 2. §. 3.
(*c*) Conc. Constantinop. I Can. II.
(*d*) Conc. Chalced. Can IX.
(*e*) Conc. Chalced. Can. XVII.

rent, & difficile esset eos ibidem judicari; at satius erat novæ disciplinæ causam Patriarcharum institutioni tribuere, quæ metropolitanos majorum judicum potestati obnoxios fecit. Cæterum disciplina, quæ habet, metropolitas apud Patriarchas conveniri & judicari in Oriente, ubi multi erant Patriarchæ, facile obtinuit; non item in Occidente, ubi metropolitæ etiam post Synodum Chalcedonensem in Synodis provincialibus judicati sunt (*a*); nimirum in Occidentis diœcesibus præter Romanum Pontificem, cujus patriarchalis potestas præfectura Romana diu stetit inclusa, nulli alii erant proprie sic dicti Patriarchæ.

Prærogativa throni CP. in causis metropolitarum.

§. XIII. Verum enimvero Synodus Chalcedonensis non absolute causas metropolitarum propriis Patriarchis demandavit, sed pro conquerentium arbitrio metropolitas vel propriis Patriarchis, vel throno Constantinopolitano judicandos addixit (*b*): idque spectavit tantum Ecclesias Orientales, non item Occidentales; nec enim unquam auditum est, causas metropolitarum Occidentis ad Sedem Constantinopolitanam deferri potuisse. Hæc prærogativa Sedi Constantinopolitanæ tributa est, antequam juribus patriarchalibus in Asianam & Ponticam diœceses augeretur: quod demum postrema Synodi Chalcedonensis actione factum est. Hinc eruditorum de hoc privilegio anceps judicium. Alii ambitum Anatolii Episcopi Constantinopolitani accusant, qui eo spectantes Canones ipse scripserit, & in Synodo probari curaverit. Contra hæretici tanti privilegii Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessi præjudicio primatum Pontificis tanquam à Patribus Chalcedonensibus haud agnitum deprimunt (*c*). Petrus de Marca (*d*) docet, sedi regiæ urbis pro arbitrio conquerentium tributum fuisse de metropolitanis Orientis judicium, quod Constantinopoli erat Synodus quædam perpetua ἐνδημοῦσα Græcis dicta, quæ componebatur ex Episcopis, qui ex omnibus provinciis in regiam urbem proficiscebantur. Ex diverso Dupinus (*e*) tenet, non omnium metropolitarum Orientis judicium pro arbitrio conquerentium throno regiæ urbis fuisse delatum, sed tantum duarum diœcesium Asianæ & Ponticæ, quas Patres Chalcedonenses throno Constantinopolitano subjicere destinaverant, quo tempore Canones IX. & XVII. conditi sunt. Veri specie ablanditur illustrissimi Archiepiscopi sententia; at mihi Dupini doctrina magis sapit. Sane Canonum Chalcedonensium & ipsius patriarchatus Constantinopolitani magnus adsertor & vindex Justinianus causas contra metropolitanos

(*a*) Conf. Dupin. de Antiq. eccles. discipl. diss. II. c. 1. §. 4.
(*b*) Cit. Conc. Chalced. Can. IX. & XVII.
(*c*) Bevereg. in cit. Can IX.
(*d*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 7. c. 5.
(*e*) Dupin. de Antiq. eccles. discipl. diss. XI. c. 1. §. 4.

nos apud proprios Patriarchas judicandas edixit (*a*): quod profecto contra Canones Chalcedonenses & prærogativas regiæ urbis non statuisset.

Pontifices sibi reservant causas de metropolitis.

§. XIV. Interea etsi relati Canones Chalcedonenses ad solum Orientem pertinerent, Romani Pontifices metropolitarum Occidentis primam cognitionem Sedi suæ tribuere cœperunt. Certe Leo M. in Synodo Romana causam Hilarii Arelatensis cognovit, eumque jure metropolitico spoliavit (*b*); itemque graviter objurgavit Anastasium Episcopum Thessalonicensem, quod in causa Attici Epiri metropolitæ non prius Sedem Apostolicam consuluisset (*c*). Quid novi profecto his judiciis inerat, sed concesso jam Ecclesiæ Arelatensi & Thessalonicensi Apostolico vicariatu, Hilarius summo Pontifici velut Patriarchæ subjectus evasisse videbatur, & causa Attici veluti major Pontifici reservata videri poterat; supra enim observatum est, Anastasio Thessalonicensi vicariatum Sedis Apostolicæ Leonem M. concessisse, majoribus causis exceptis, quas suæ cognitioni reservavit. Ulterius deinceps progressi sunt Vigilius & Pelagius (*d*), qui etiam primam de Episcopis cognitionem Sedi Romanæ tribuisse videntur, si illi ante Synodi provincialis cognitionem ad Romani Pontificis judicium provocarent. Inde Gregorius M. integram in causis Episcoporum cognitionem Synodis provincialibus reliquit, at primam metropolitanorum cognitionem Sedi Apostolicæ reservatam docuit: *si contra metropolitanum aliquid causæ habuerit, ob hoc Sedis Apostolicæ petat judicium, quod per Canones antiquorum Patrum est institutione permissum* (*e*). Canones veterum Patrum, quorum præjudicio jura Sedis Apostolicæ proferre voluit, procul dubio erant Chalcedonenses, etsi illi, non adhuc per totum Occidentem patriarchatu Pontificis extenso, vix Sedi Apostolicæ convenirent.

Doctrina falsarum decretalium in causis Episcoporum.

§. XV. Disciplina, quæ habet, causas Episcoporum in Synodo provinciæ judicari debere, per octo ferme sæcula obtinuit; inde sensim mutata est, & in Occidente causæ majores Episcoporum inter apostolica jura transierunt. Tantæ mutationis causam præcipue præbuerunt falsæ decretales, quæ initio IX. sæculi opera Isidori Mercatoris sub nomine primorum Pontificum in Ecclesiæ perniciem prodierunt. Nimirum in iis sub nomine Eleutherii, Julii aliorumque Pontificum edicitur, non licere Synodis provinciali-

(*a*) Novell. CXXIII. c. 22. & novell. CXXXVII. c. 4.
(*b*) Leo M. ep. X. ad Episc. provinc. Viennen. edit. Quesn.
(*c*) Leo M. ep. XII edit. Quesn.
(*d*) Vigil. ep. ad Eutherium, Pelag. ep. ad Joann. Constantinop.
(*e*) Greg. M. lib. 7. ep. VIII.

libus præter sententiam Pontificis Romani Episcopos damnare, nec Synodos provinciales habere. Videtur impostor novitatem de Episcopis inconsulta Sede Romana non damnandis hausisse ex litteris Julii ad Orientales (*a*), ubi Pontifex contendit, consuetudinem esse, ut causæ Ecclesiarum Apostolicarum, maxime Alexandrinas, si de deponendis eorum Episcopis ageretur, cum Papa & Romana Synodo communicarentur, antequam Synodi Orientales cognitionem de iis instituerent, ut magnæ Ecclesiæ communi consensu componi possent. At impostor, quod in causis Ecclesiarum Apostolicarum Julius Papa dixerat, ad omnes Ecclesias & Episcopos aptavit. Quid quod nulla videtur fuisse consuetudo, qua Leo contendit, causas Ecclesiarum, quas Apostoli fundaverant, communi consensu Episcoporum Orientis & Occidentis componi debere? Videtur Julius consuetudinem illam exculpsisse ex facto Clericorum Alexandrinorum, qui suspicantes, Dionysium Episcopum suum de fide non recte sentire, eum ad Sedem Apostolicam detulerunt: quam accusationem scripta ad summum Pontificem epistola Dionysius purgavit (*b*).

Causæ contra Episcopos Pontifici reservantur.

§. XVI. Proposita in falsis decretalibus de Episcopis sine auctoritate Pontificis non judicandis doctrina longo tempore dubia hæsit, nec usu recepta est. Nam Gallicani Antistites, ubi animadverterunt, novis decretalibus jura metropolitarum & Synodorum provincialium labefactari, iis, quod non essent in codice Canonum, (falsaria manus tum cognita non erat) canonicam auctoritatem denegarunt, & Romanis Pontificibus Nicolao I. & Hadriano II., qui eas propugnandas susceperant, restiterunt, nec aurem præbuerunt Nicolao, qui decretales illas obtrudebat *veluti tegmina totius Ecclesiæ catholicæ* (*c*), quibus Episcopi judicia Synodorum provincialium eludere possent. Deinceps in tuendis suis juribus segniores Episcopi Gallicani facti sunt, & X. exeunte sæculo earum auctoritatem agnoverunt; consenserunt enim restitutioni Arnulphi Archiepiscopi, qui in Synodo Remensi MCCCCXCV. suam sedem recuperavit tantum ob eam causam, quod absque consensu & auctoritate Sedis Apostolicæ deponi minime potuerit (*d*). Tot bellorum tempestatibus & pondere novarum legationum fracta tum erat Episcoporum libertas, quæ deinceps desuetis ferme Synodis provincialibus minor evasit. Ita non tantum receptum, Episcopos in Synodis præter auctoritatem Pontificis non posse damnari, verum etiam eorum causæ primo judicio ad Sedem Romanam, tanquam majores, devolutæ sunt. Qua demum recepta disciplina in dictatu sub nomi-

(*a*) Ap. Athanas. apol. 2.
(*b*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib 7. c. 4.
(*c*) Ep. XXI tom 3 Concil. Gall.
(*d*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib.3. c. 6. & lib. 7. c. 25.

mine Gregorii VII. veluti certum proponitur, solum Papam *posse deponere Episcopos vel conciliare* (*a*). Et inde Innocentius III. magnificis profecto verbis docuit, non tam canonica, quam divina institutione depositiones, translationes & cessiones Episcoporum uni Pontifici esse reservatas (*b*).

Distinctio inter causas Episcoporum majores & minores.

§. XVII. Cæterum nova disciplina non omnes Episcoporum causas, sed tantum majores summo Pontifici addicit; quod jus exortum videtur ex antiquorum Canonum & falsarum decretalium collatione. Nimirum Canonum collectores & præcipue Gratianus Codicibus suis, & antiquos Canones, qui generatim causas contra Episcopos Synodis provincialibus attribuunt, & falsas decretales, quæ Episcopum præter Pontificis auctoritatem non damnandum decernunt, inseruerunt. Hinc ad concordiam distinctum est inter causas majores & minores, quarum illæ Pontifici reservatæ sunt, hæc Synodis aut metropolitis relictæ (*c*). Majores causæ dictæ sunt, quæ depositione à gradu puniuntur: minores vero, quæ mitiorem correctionem merentur. Hanc distinctionem Innocentius III. non obscure probavit, qui tantum Episcoporum translationem, depositionem & cessionem inter Pontifici reservata recensuit (*d*): tandem vero Synodus Tridentina jamdiu inductam disciplinam confirmavit (*e*): atque adeo causas criminales contra Episcopos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, tantum ab ipso Pontifice cognosci & finiri voluit; reliquas vero Synodo provinciali, aut deputandis per eandem Synodum judicandas reliquit. Verum hoc decretum in Gallia receptum non est, utpote quod juri regio & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis adversatur, quibus cavetur, ne quis etiam volens extra regnum à quovis, & ex quavis causa in jus vocari, nedum condemnari possit. Ubi vero receptum est, reipsa tegmen Episcopis peccantibus exhibuit; nam dum judex tan longe abest, Episcopi ferme peccant impune.

Episcopi olim Sanctos Canoni inserebant.

§. XVIII. Venio ad jus referendi in censum & tabulas Sanctorum christianos in pietate defunctos, quod recepto vocabulo *canonizatio* audit. In veteri disciplina cujusvis Episcopi erat album Sanctorum in sua Ecclesia novis nominibus augere. Sane Cyprianus de coronatis sub ejus exilio martyribus clero suo respondit (*f*), *dies eo-*

(*a*) Dictat Greg. VII. cap. 3.
(*b*) Cap. 2. ext. de Translat. Episc.
(*c*) Conf. Espen part. 3. tit. 3 cap. 4.
(*d*) Cap. 2. ext. de Translat. Episc.
(*e*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 5.
(*f*) Cypr. ep. XXXVII.

eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationem eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Et S. Gregorius Thaumaturgus dispersum ethnica persecutione populum post redditam pacem visitans, apud omnes ubique populos instituebat, ut nomine eorum, qui pro fide decertassent, dies festi atque solemnes conventus celebrarentur, quod Gregorius Nyssenus testatur (*a*). Et Joannes Chrysostomus quosdam Clericos ab Arianis trucidatos & miraculorum gratia post mortem coruscantes in Sanctorum tabulas retulit, teste Sozomeno (*b*). Hæc disciplina etiam sæculis VIII. & IX. obtinebat; capitularia enim Regum Francorum aperte habent, Sanctos de novo inventos *nisi Episcopo probante minime venerari* (*c*). Consecrantes autem Episcopi novos divos, sæpe Synodi provincialis auctoritate aut metropolitæ sui adsensu id faciebant: erantque propterea cultus isti Sanctis decreti particulares, qui accedente totius Ecclesiæ consensu generales evadebant.

Populus novos sibi Sanctos sæpe fecit.

§. XIX. Cæterum vetus est in zelo & pietate excessus, quo christiani exciti sanctitatis & miraculorum fama, sæpe falsa aut dubia, sine ulla Episcopi auctoritate sanctos sibi parare consueverunt (*d*): qui moribus præsertim crevit, ubi quemvis inique occisum simplex plebs veluti martyrem cœpit reputare. Ipsi Episcopi aliquando vulgi simplicitatem confirmarunt, & tumultuariis Sanctis auctoritatem præbuerunt; refert enim Sulpitius Severus (*e*) in loco, quem falsa hominum opinio veluti sepultis ibi martyribus sacraverat, Episcopos altare constituisse, quum tamen reapse latro quidam eo loci sepultus jaceret. Præpostera ista pietas errori erat obnoxia, & nullo judicio Sanctis omnia implebat. Sacra consecrari debere publica auctoritate pro prudentia sua olim Romani decreverunt, ne quid peregrinæ religionis sine publica auctoritate in urbem inferretur (*f*). Curatius in vera religione procedendum erat, & nefas omnino erat vulgi judicio Sanctos constitui. Ergo statuit Synodus Francofordiensis sub Carolo M. (*g*), *ne nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur; sed ii solum in Ecclesia venerandi sunt, qui ex auctoritate passionum aut vitæ merito electi sunt*, utique Episcopi judicio. Et S. Anselmus in sua Synodo statuit, *ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, quod contigisse cognovimus, sine Episcopi auctoritate reverentiam sanctitatis ex-*

(*a*) Gregor. Nyss. vit. Gregor. Thaum.
(*b*) Sozom. lib. 7. cap. 15.
(*c*) Append 1. Capitul. cap. 19.
(*d*) Conf. Christ. Lup. schol. in Conc. IV. Roman. S. Leon. IX. tom. 4. oper. edit. Venet.
(*e*) Sulpit. Sever. vit. S. Martini cap. 8.
(*f*) Conf. Binkersh. de Relig. pereg.
(*g*) Conc. Francof. Can. XLII.

exhibeat (*a*). Providentia quoque Episcoporum Sanctis vulgaribus posita insignia aut monumenta sæpe excisa sunt, ut occasio exhibendi cultus omnino tolleretur.

Canonizatio summo Pontifici reservatur.

§. XX. Verum enimvero labentibus annis Episcopi Occidentis jure faciendi divos ceciderunt, & quidquid ejus rei est Sedi Romanæ cessit. Et quidem extra provincias suburbicarias demum inclinante ad exitum sæculo X. cœperunt Romani Pontifices Sanctorum catalogum augere, quod Mabillonius & Papebrochius observant (*b*); nec enim extat authenticum & certæ fidei monumentum antiquius diplomate Joannis XV., qui anno DCCCCXCV. Uldaricum Augustanæ Ecclesiæ Episcopum in Sanctorum album retulit. Id vero Episcopis postulantibus Pontifices initio fecerunt: videnturque Episcopi, quod ipsi facere poterant, à Pontifice obtinere voluisse, ut Sanctorum cultus per omnes Ecclesias extenderetur. Inde Alexander III. relatione accepta de homine, qui in ebrietate occisus tanquam Sanctus venerabatur, statuit, non licere alicui cultum religiosum exhibere, etsi per eum miracula fierent, *absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ* (*c*). Sed decretalis ista, utpote particularis, non statim ubique per Occidentem recepta est; constat enim Episcopum Mindensem in Westphalia anno MCCCLXXIII. festum S. Feliciani per totam suam diœcesim instituisse, mox ut ejus sanctitas miraculis coruscavit. Hinc relatio inter Sanctos veluti unius Pontificis jus haberi cœpit, ubi Gregorianus decretalium Codex, cui Alexandri rescriptum Raymundus inseruit, pro communi Ecclesiæ Occidentis jure haberi cœpit, quod sensim post publicationem factum est (*d*).

Canonizatio solius Pontificis judicio innixa creditur.

§. XXI. Jam vero Romana Ecclesia non solius summi Pontificis auctoritate, sed Synodi judicio divos consecrare consuevit (*e*); quod veteri disciplinæ conveniebat; erantque Episcopi in Synodo veri judices. Primus Eugenius III. fuisse videtur, qui S. Henricum de potestatis plenitudine solus in suo consistorio inter cælites adscripsit, ea usus ratione *quod Romanæ Ecclesiæ auctoritas sit omnium Conciliorum fundamentum*: quam rationem primus Eugenius in hac specie videtur usurpasse. Quod exemplum, inquit Christianus Lupus, *in sancto Eduardo & S. Thoma Cantuariensi Alexander III. & in aliis Sanctis canonizandis alii Pontifices sunt deinceps imitati.* Ita pau-

(*a*) Ap. Guiliel. Malmesburiens.
(*b*) Mabillon. præf. ad sæcul. V. Benedict. n. 101., Papebroch. Conatu chronico hist. diss. XX. ad calc. vit. Joan. XV.
(*c*) Cap. 1. ext. de Reliq. & venerat. Sanct.
(*d*) Conf. Espen. part. 1. tit. 22. cap. 7. n. 10.
(*e*) Conf. Christ. Lupus loc. cit.

paulatim invaluit doctrina, negotium de novis Sanctis creandis solius Pontificis judicio inniti; consistorium vero & reliqua omnia ex præsenti usu adhiberi consueta non ad vim ipsam actus, sed potius ad solemnitatem pertinere. Superest tamen adhuc disciplinæ veteris imago, nam antequam solemni ritu & publico decreto per Pontificem relatio inter cœlites fiat, solemne & publicum consistorium celebratur, ad quod quotquot Episcopi Romæ sunt, etiam conveniunt, non utique ad judicandum, sed ad meram actus solemnitatem, quod post Cardinalem de Luca Espenius observat (*a*).

An miracula ad canonizationem requirantur?

§. XXII. Cæterum Sanctorum consecratio non temere, sed satis maturo, & in utramque partem discusso judicio decernenda est, ut nempe prius constet de miraculis, quæ Deus intercessione illius, cujus nomine album Sanctorum augeri debet, patrare dignatus est, præsertim vero de bona vita & eximiis virtutibus. Et miracula quidem (modo constet vera esse miracula) sunt divinæ potentiæ ad nos loquela: atque adeo sunt magni ponderis in causis de Sanctorum censu augendo; non tamen sunt evidens argumentum sanctitatis illius, cujus opera à Deo patrantur: sæpe enim dignatus est Deus malorum hominum ministerio edere prodigia. Hinc illud Fulgentii Episcopi Ruspensis, *mirabilia non conferunt homini justitiam, sed hominum notitiam.* Et recte S. Petrus Damianus quibusdam ad S. Rodulphi Episcopi sanctitatem credendam quærentibus miraculorum testimonia respondit (*b*): *Qui miraculum quæris, nonne sibi videtur esse mirabile, hominem adhuc fragili carne circumdatum angelitus vivere, adeo ut inter quamplurima hominum millia vix unum ejus similem valeas reperire?* Quis porro nescit, Sanctorum eminentissimos Virginem Deiparam & Baptistam Præcursorem (ut multos alios silentio prætream) nullum in vita edidisse miraculum?

Eximiæ virtutes ad canonizationem necessariæ.

§. XXIII. Quæ quum ita sint, dum agitur de augendis Sanctorum tabulis, præcipue spectari debet sancta & integra vita omnium virtutum meritis condecorata: quæ est evidens, & nulli exceptioni obnoxium sanctitatis testimonium. Immo sancta usque ad finem vita inter miracula supremum merito censetur. Hinc ubi de eximia defuncti justitia & virtutibus constiterit, Ecclesia etiam sine miraculorum testimonio procedere potest, & aliquando processit ad novos Sanctos consecrandos, præsertim si de Martyribus agatur. His enim ab ipso Jesu Christo singularis facta est regni cælorum promissio, ideoque professam in carcere fidem, & inde effusum pro ip-

(*a*) Espen. part. 1. tit. 22. cap. 7.
(*b*) P. Damian. ep. XIX.

ipsa sanguinem esse perfectam ipsorum gloriam seu justitiam docet Cyprianus, & nihil aliud ad eos vindicandos requisivit (*a*). Verum, ut recte observat Christ. Lupus (*b*), *non quævis, licet miraculis illustrata justitia, ad canonizationem sufficit: esse debet eminens, & ab omni etiam famæ nævo immaculata.* Inter nævos vero, quibus aliquando factum, ne defunctorum aliqui, etsi virtutibus & miraculis clari, numero Sanctorum adscriberentur, fuit fortis defensio jurium episcopalium contra curiæ Romanæ novitates. Ita Robertus Episcopus Lincolniensis inter Sanctos relatus non est, quod adversus curiæ Romanæ exactiones & pontificias beneficiorum reservationes acriter pugnaverit. *Hac de causa*, inquit Henricus Cnyghnotonus (*c*),
Caute lege. *quamvis Robertus perspicuis effulgeret miraculis, non est permissus canonizari.* Quo aliisque similibus exemplis innixus Bailletus (*d*) observat, aliquando contingere, ut catalogo Sanctorum Romæ non inserantur viri meritis & miraculis clari, quod curiæ Romanæ molestiam aliquam sive factis, sive scriptis crearint.

Ritus in canonizatione adhibiti.

§. XXIV. Ritus & solemnia in Sanctorum consecratione adhiberi consueta non semper eadem in Ecclesia fuerunt. Primis sæculis simplici plane ritu negotium istud procedebat: mortuo enim in carcere, vel in agone Martyre, dies martyrii cujusque adnotabatur, nomen in diptycha Ecclesiæ inserebatur, ejusque memoriæ quotannis celebrandæ causa Episcopus solemnem diem addicebat (*e*). Aliquando etiam condito Martyre, vel Confessore Episcopus in beatitatis argumentum ejus tumulo altare, vel sacram ædem imponebat (*f*). His ritibus inter cœlites relati Martyres dicebantur *vindicati*, ut habet Optatus (*g*), seu recepti & probati, quod Albaspinæus interpretatur. Mediis vero sæculis ubi Episcopo de sanctitate defuncti constiterat, relatio inter cœlites *elevatione* corporis seu reliquiarum super altare fieri solebat: qui ritus tum demum invaluit, ubi Sanctorum reliquiæ super altare ad publicum cultum exponi cœperunt. Hinc *elevare* corpus in mediorum sæculorum monumentis tantundem est ac inter divos referre (*h*). Sed in præsenti dis-
Caute lege. ciplina jamdiu recepta magno cæremoniarum apparatu & immani expensarum mole servi Dei albo Sanctorum inseruntur, eoque nomine negotium istud plane arduum & difficile evasit, etsi alioquin sumptus isti potius ad Romanæ curiæ, quam ad sanctificationis negotium spectent. Hinc ad expensarum compendium aliquando divorum consecratio sola insertione nominis in Romanum Breviarium, aut speciali Pontificis bulla & decreto Cardinalium facta est: qua ratione divales honores Joannes de Matha & Felix Valesius meruerunt (*a*).

(*a*) Cypr. ep. XXXVII.
(*b*) Lupus schol. in IV. Conc. Rom. S. Leonis IX.
(*c*) Cnyghnot. lib. 2. cap. 16. Conf. Lupus loc. cit.
(*d*) Baillet. præf. ad vitas Sanctor. n. 90.
(*e*) Cypr. ep. XXXIV. & XXXVII. edit. Pamel.
(*f*) Conf. Altes. de Jurisd. eccles. lib. 10. cap. 10.
(*g*) Optat. lib. 1.
(*h*) Balderic. Tornacens. lib. 1. Chron., Sigeber. Gemblac. ad an. CIↃCCX.

Distinctio inter canonizationem & beatificationem.

§. XXV. Nova disciplina tanquam duos actus *canonizationem*, & Sanctorum *beatificationem* distinguit, quarum ista est simplex interlocutio, quæ duntaxat alicui Ecclesiæ, provinciæ, aut regulari ordini impartitur colendi defuncti facultatem: illa vero est solemne decretum, quo defunctus tanquam Sanctus toti Ecclesiæ proponitur, eique religiosum cultum exhibendum statuitur. Distinctio hæc in veteri disciplina, qua omnis Episcopus in sua parœcia Sanctos elevabat, ignota fuit, & demum inventa videtur ubi relatio inter Sanctos uni Romano Pontifici cessit, quod Christianus Lupus fatetur (*b*). Et male profecto Gonzalez (*c*) tenet, inter hæc duo judicia semper fuisse distinctum, solamque canonizationem ab Alexandro III. Sedi Romanæ fuisse reservatam: ut enim paulo ante vidimus, extra Ecclesias suburbicarias primus Joannes XV. inter Sanctos Uldaricum Episcopum Augustanum retulit. Interim etiam beatificationem Romani Pontifices sibi jamdiu reservarunt. Sic vero canonizatione & beatificatione Pontifici reservatis, vetuit Urbanus VIII., ne alicujus defuncti, etsi virtutum & miraculorum fama coruscantis, imagines aut quidquid venerationem aut cultum præseferat, in Ecclesiis, oratoriis, aut locis privatis ponantur, antequam inter Sanctos aut Beatos referatur (*d*).

An canonizatio errori abnoxia?

§. XXVI. Quæstio est inter doctores, etiam catholicos, an Ecclesia, sive per Synodum, sive per summum Pontificem in Sanctis consecrandis falli possit & labi. Multi graves theologi, in primis Melchior Canus & Veronius, affirmant (*e*): ipsique decretalium interpretes post glossam docent, *accidere posse, ut Ecclesia in canonizatione Sanctorum erraret* (*f*). Nimirum in hac causa Ecclesia hominum eorum testimoniis innititur, qui fallere & falli possunt: atque adeo non omnino certum & de fide potest esse judicium, quod non ex certis & exploratis argumentis hauritur. Ipsi Pontifices etiam videntur agnovisse, se errare posse, dum christia-

(*a*) Conf. Baillet præf. ad vit. Sanctor. n. 99.
(*b*) Christ. Lupus schol. in Conc. IV. Roman. S. Leonis IX. tom 4. oper. E. V.
(*c*) Gonzalez in cap 1 ext. de Reliq. & venerat Sanctor.
(*d*) Conf Cypæus consult 2 de Reliq & venerat. Sanctor.
(*e*) Melch. Canus lib. 5. de Loc. cap. 5., Veron. Reg fidei cap. 2. §. 7.
(*f*) Gloss. in cap. 1. ext. de Reliq. & venerat. Sanctor.

tianos in pietate defunctos inter cœlites censent, olim enim antequam sententiam proferrent, protestari solebant, *quod per hunc actum canonizationis non intendebant aliquid facere quod sit contra fidem, aut Ecclesiam catholicam, aut honorem Dei*: quam formulam ex opere ecclesiasticorum rituum Christophori Marcelli Christianus Lupus (*a*) descripsit. Interim eadem glossa recte observat, preces in honorem non veri Sancti fusas Deo acceptas & gratas esse, per fidem nempe & bonam voluntatem, unde promanant. Quin etsi hæc omnia summo jure vera haberi possint, tamen pie credendum est, Deum non permissurum, ut Ecclesia in tam gravi negotio erret, quæ est S. Thomæ sententia (*b*).

CAPUT IX.

De Conciliis generatim.

Definitio Concilii.

§. I. Hactenus de ecclesiastica potestate & foro competente; dicendum modo de judicibus, per quos potestas ista exercetur & explicatur, de Conciliis nempe, aliisque tum ordinariis, tum delegatis judicibus. Nomine *Concilii* in re ecclesiastica venit conventus catholicorum Antistitum ad tractandum de fide & disciplina rite convocatorum. Notio ista propria est vocis Concilii, Latinis enim Concilium dictum videtur quasi *concalium* à *concalando*, hoc est convocando, quod omnes in unum locum convocantur (*c*): nam alioquin per translationem Concilium locum ipsum, ubi conventus habentur, denotat. Quo sensu Ecclesiæ, quo christiani precaturi conveniunt, in antiquis monumentis sæpe *Concilia*, *conventicula*, *conciliabula* audiunt (*d*). Græcis Concilium dicitur σύνοδος, quod ex diversis locis in eandem viam locumque Antistites coeant. Ita ab Ecclesia tanquam pars à toto Concilia differunt, nam Ecclesia est totius christiani populi sub pastore suo, Concilium vero tantum Antistitum conventus. Etiam jam apud Romanos discrimen erat inter *comitia* & *Concilium*, ut Cælius Felix apud Gellium observat (*e*), quod comitia conventum totius populi significabant ferendorum suffragiorum causa institutum: Concilium vero si pars aliqua populi congregetur: non secus ac apud Græcos ἐκκλησία populi concio dicebatur; συγκλησία Concilium Senatorum.

Spe-

(*a*) Christ. Lupus schol. in Conc. IV. Rom. S. Leon. IX.
(*b*) S. Thomas quodlib. 9. art. ult.
(*c*) Varro de Ling. lat. lib. 5.
(*d*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 8. cap. 1. §. 7.
(*e*) Lib. 15. Noct. Attic. cap 27.

Species Conciliorum.

§. II. Concilia ecclesiastica proprie sic dicta vel sunt universalia, seu generalia, vel particularia, seu localia. Universalia, quæ Græcis οἰκουμενικαὶ σύνοδος audiunt, ex totius christiani orbis Episcopis orthodoxis celebrantur, quibusque summus Pontifex ordinario jure aut per se, aut per legatos suos præest. Particularia, quæ Græcis τοπικὰ, seu μερικὰ dicuntur, triplicis generis sunt, *diœcesana*, *provincialia* & *episcopalia*. Diœcesana ab Episcopis & metropolitis uniu⁹ diœcesis celebrantur; ita vero dicta sunt à *diœcesi*, quæ olim præsertim in Græcis monumentis & in legibus civilibus plures sibi invicem adnexas provincias denotabat. Prope accedunt ad Synodos diœcesanas Concilia regionalia, seu nationalia, quæ deleto imperio Romano & mutata reipublicæ forma in regnis Occidentis celebrari cœperunt, cujus generis sunt multa Gallicana & Hispaniensia. Provincialia sunt, quæ Episcopi unius provinciæ præside metropolitano celebrant. Episcopalia demum, quæ hodie *Synodi diœcesanæ* audiunt, ab unoquoque Episcopo accitis totius parœciæ Parochis aliisque Clericis, quibus conveniendi jus est, habentur. Media inter œcumenica & diœcesana censentur, quæ ex plurium nationum Episcopis coalescunt, qualis Arelatensis I. sub Silvestro & Sardicensis sub Julio, ad quas solius Occidentis Episcopi convenerunt.

Synodi perpetuæ.

§. III. Jam sunt aliæ peculiares Synodi, quæ ad nullam recensitarum specierum commode referri possunt, quales erant Synodi veluti perpetuæ, & mistæ seu regiæ. Et quidem Constantinopoli perpetua veluti Synodus morabatur, quæ coalescebat ex Episcopis, qui ob ecclesiasticas necessitates magno numero ex universo imperio in aulam Imperatoriam confluebant. Græci Synodum istam dicere solent ἐνδημοῦσαν, quasi *perpetuam*, sive *popularem*, eique Episcopus Constantinopolitanus præsidebat. In ea difficiliores totius Orientis ecclesiasticæ causæ tractabantur, quas vel ipse Imperator Episcopo Constantinopolitano committebat, vel quas ipsi litigantes ad eum præsulem ultro deferebant; quod pluribus exemplis Thomassinus illustrat (*a*). Quin docet Petrus de Marca (*b*), ob Synodi ἐνδημούσης, splendorem constituisse Patres Chalcedonenses, ut pro conquerentium arbitrio metropolitani vel apud proprios exarchos, vel apud thronum Constantinopolitanum convenirentur (*c*). Romæ quoque quotquot peregrini Episcopi reperiebantur cum Ponti-

(*a*) Thomass. de Veter. & nova eccles. discipl. part. 2. lib. 3. cap. 34.
(*b*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib 7. cap 5. n. 9.
(*c*) Conc. Chalced. Can. IX. & XVII.

tifice & clero convenire solebant, si qua gravis controversia occurreret, aut negotium aliquod expedire oporteret, cujus generis Concilia multa in monumentis ecclesiasticis occurrunt (*a*).

Concilia regia seu mista.

§. IV. Regia seu mista Concilia, quæ *placita*, *colloquia* & *conventus* etiam dicebantur, non tantum ex regni optimatibus & comitibus, verum etiam ex Episcopis & Abbatibus coalescebant, ad res civiles & ecclesiasticas tractandas. Constantinopoli olim habitæ sunt quædam Synodi, quæ hos mistos conventus aliquatenus referre possunt (*b*): at mista Concilia in Occidente frequentiora facta sunt, ubi ex ruinis Romani imperii nova regna emerserunt. Nimirum hæc fuit horum regnorum optima constitutio, ut publica negotia in optimatum conventu expediri deberent. Et quoniam Episcopi & Abbates summa veneratione erant apud populos, itemque quia propter feuda Ecclesiis & Monasteriis data inter regni proceres censebantur, hinc sponte sua utrique in publica comitia acciti, natique inde sunt in Gallia & Hispania misti conventus, cujus generis profecto sunt multa Gallicana & Toletana Concilia. Rex ipse conventum indicebar, at non in omnibus causis universi deliberabant, siquidem ubi de rebus mere spiritualibus tractandum erat, tantum Episcopi & Abbates conveniebant, & regulas condebant; contra in rebus mere temporalibus deliberabant soli proceres; omnes vero simul conveniebant, si de causis mistis, hoc est ecclesiasticis simul & civilibus tractare oporteret, quod ex Hincmaro Remensi & Concilio Toletano XVII. constat (*c*). Condita per Synodos decreta Principi debebant exhiberi, quæ ille expendebat, & pro arbitrio confirmabat, aut retractabat (*d*); ubi vero jam confirmata erant, in Gallia *capitularia* audiebant. In regno Apuliæ mistæ Synodi speciem redolet conventus Prælatorum, comitum & baronum regni, qui anno CIↃCCLXXXIII. in plano S. Martini habitus est, ubi Carolus II. sex supra quadraginta capitula de juribus & immunitatibus Ecclesiarum & Clericorum condidit. Sed tandem in Gallia hi misti conventus in ordinaria *parlamenta* abierunt, à quibus propter adsiduitatem in Ecclesiis Episcopi abesse cœperunt, nisi universæ Ecclesiæ necessitas cogat (*e*).

Concilia sunt divinæ institutionis.

§. V. Sunt vero Concilia generatim sumpta divinæ institutionis & auctoritatis. Nimirum exorta inter Antiochenos christianos controver-

(*a*) Conf. Auctor. tract. de Studio Concilior. Gallica lingua scripti, qui Parisiis an. CIↃIↃCCXXIV. prodiit.
(*b*) Conf. Thomass. loc. cit. cap. 44.
(*c*) Hinc. Remens. ep. III. cap. 35., Conc. Tolet. XVII.
(*d*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 25. n. 6.
(*e*) Conf. Thomass. loc. cit. cap. 47. n. 3.

versia de observanda ab ethnicis ad Christum conversis una cum Evangelio lege Mosayca, Apostoli Hierosolymis conventum habuerunt, ubi communibus suffragiis suborta quæstio decisa est (*a*). Id autem fecerunt Apostoli, ut Ecclesia normam haberet, quam in quæstionibus decidendis deinceps sequeretur. Nec enim tum temporis hoc conventu opus erat, quum singuli Apostolorum, utpote divino Spiritu afflati, propositam controversiam definire potuissent. Et profecto conveniebat ecclesiastico regimini per Christum instituto in plurimorum conventu res ecclesiasticas tractari: siquidem Apostoli in solidum Ecclesiæ regimen & administrationem acceperunt (*b*); & si unus cæteris præferri meruerit, id factum, ut Ecclesia una monstraretur. Partitio Ecclesiæ in plures parœcias de unitate episcopatus nihil imminuit, sed tantum in rebus ordinariis & quotidianis gregis portionem singulis addixit, quæ est Cypriani doctrina (*c*). Cujus institutionis & regiminis Ecclesia conscia, ubi alicujus momenti negotia emergerent, semper Concilia usurpavit, nil communi tractatione melius esse credens & ad fidem confirmandam & disciplinam ordinandam. Quo spectat illud Isidori, varias primis sæculis ideo exortas fuisse hæreses, quod non semper Episcopis licuerit in unum convenire (*d*). Nec alia ratione tenent viri docti, posteriore ætate multas novitates in Ecclesia exortas, & disciplinam corruptam fuisse, quam quod Concilia frequentari desierint.

Confutatur sententia Boehmeri de origine Conciliorum.

§. VI. Sed contra apostolicam Conciliorum originem & auctoritatem Justus Henningius Boehmerus insurrexit, qui totus in eo est, ut spiritualem potestatem à Christo Ecclesiæ statam penitus infringat & pessumdet (*e*). Asserit ergo ex mutua christianorum confœderatione Conciliorum originem repeti debere. Nimirum ex hujus hominis sententia initio judicia in singulis Ecclesiis mutuo pacto constituta sunt, & quidem à tota Ecclesia exercenda. Quum vero Ecclesiæ in una quadam provincia collectæ sensim coalescerent, contigit, ut judicia, quæ ex conventione in singulis Ecclesiis exercebantur, inde in communi conventu Ecclesiarum unius ejusdem provinciæ haberentur, si de rebus communibus tractaretur. Ita Synodos provinciales fundamentum reliquis omnibus dedisse docet: ac porro negat, conventum Apostolorum cum Presbyteris Ecclesiæ Hierosolymitanæ ad finiendam de legalibus controversiam Concilium fuisse; siquidem quæstionem illam non pro potestate sua conven-

(*a*) Actor. cap. XV.
(*b*) Joan. cap. XX. v 21.
(*c*) Cypr. de Unit. Eccles.
(*d*) Isidor. Orig. lib. 6. cap. de canon. Concil.
(*e*) Boehmer. in Dissertationib. jur. eccles. antiqui diss. III. §. 71.

ventus Hierosolymitanus definivit, sed potius ex contendentium compromisso, qui sententiæ Apostolorum se statutos promiserant. Sed doctrina ista Evangelio prorsus adversatur, quo constat, Apostolis eorumque successoribus omnem potestatem ad res ecclesiasticas ordinandas datam fuisse (*a*); tantum abest, ut illa ex confœderata disciplina descendat. Et quamvis inter primævos christianos fœderatio quædam instituta sit, qua christianæ religionis observantiam sanctius strictiusque promittebant; tamen mutuis illis fœderibus potestas ecclesiastica consolidata est, non inde manavit. Deinde ut detur, christianos Antiochenos in Ecclesiæ Hierosolymitanæ sententiam compromisisse (quamvis id aperte Lucas non dicat), causa tamen fuit, quod intelligerent, in conventu ecclesiastico exortas controversias esse decidendas. Verum itaque Concilium conventus Hierosolymitanus fuit; omnia enim acta sunt eo modo, quo in Conciliis fieri solent & debent, & solemni omnium consensu controversia finita est.

Episcopi primigenii Conciliorum judices.

§. VII. Primigenii judices, unde sive Concilia generalia, sive diœcesana, sive provincialia coalescunt, sunt Episcopi, quibus regimen Ecclesiæ incumbit, & ligandi & solvendi potestas præcipuo jure competit. Hinc illud Theodosi junioris in litteris ad Concilium Ephesinum: *Illicitum est, eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Quod si Episcopi ire ad Synodum impediantur, integrum est vices suas aliis committere (*b*). Vicarii isti Episcoporum ex Presbyteris aut Diaconis eligebantur, talesque esse oportebat, quos integra vita & scientia rerum ecclesiasticarum commendabat (*c*). Quin in Synodo Constantinopolitana I. Cyclus lector subscripsit nomine Atrabii provinciæ Ponti Polemoniaci Episcopi. Edixit quidem Synodus Emeritensis in Lusitania anno IↃCLXVI., ne Episcopi vice sua ad Concilium mittant Diaconos, quibus inter Episcopos sedere non licet (*d*); at Canon iste nec in Hispania receptus videtur. Vicarii isti eorum nomine, à quibus mittebantur, sententiam dicebant; at in ordine sedendi non eadem fuit Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis disciplina. Etenim in Conciliis Orientalibus sedebant & subscribebant iisdem locis, quibus sedere & subscribere debuissent illi, unde missi erant: contra in Occidentalibus post Episcopos sederunt, & ab eis seorsum subscripserunt (*e*).

An

(*a*) Joan. XX. 21., Act. XX. 28.
(*b*) Conc. Arelat. II. Can. XVIII. & seq., Conc. Trullan. Can. VII.
(*c*) Avit. Viennens. epist. LXXX.
(*d*) Conc. Emerit. Can. IV
(*e*) Conf. Cabassut. Notit. ecclesiast. sæc. I.

An Presbyteri suffragium in Synodis habeant?

§. VIII. Conciliis quoque, sive generalibus, sive particularibus etiam Presbyteri, Diaconi & inferiores Clerici interesse consueverunt, eoque se conferebant, vel invitati, vel Episcopos suos comitaturi. Et Presbyteri quidem una cum Episcopis etiam in consessu considebant, sed vel à tergo Episcoporum, vel in sellis demissioribus. Sic ad consessum Presbyteri admissi sententiam dicebant, & eorum suffragium sæpe plenum fuisse videtur (*a*): quod constat ex sedendi prærogativa, & aliquæ subscriptiones innuunt. Sane in Concilio Romano sub Symmacho anno CCCCXCIX. ita subscribunt, quasi in decernendo partem habuerint, veluti *Cælius Laurentius Archipresbyter tituli S. Praxedis hic subscripsi, & consensi synodalibus constitutis* (*b*): & in Concilio sub Gregorio II. anno DCCXV., *Sisinnius humilis Præsbyter huic constituto à nobis promulgato subscripsi* (*c*). Et quæ ratio impedit, Presbyteros in Synodis veros judices sedere, quando in conventu de legalibus, una cum Apostolis judicarunt? Cæterum hæc Presbyterorum prærogativa deminui potuit: atque adeo sæpe ad doctrinæ, non ad judicii suffragium admissi sunt; quod tum præsertim factum putaverim, si ad sessionem non admitterentur, ut videre est in Concilio Bracarensi II. ubi tantum Episcopi considentes, Presbyteri vero tanquam *præsentes* exhibentur. Quidquid vero hujus rei sit, in nova disciplina in Conciliis Presbyteri solo doctrinæ suffragio donantur, tantumque in Concilio Basileensi ad judiciale, & plenum suffragium admissi sunt. Speciali vero privilegio censentur Diaconi & Presbyteri Cardinales, qui in Conciliis generalibus tanquam veri judices sedent. Nova enim disciplina Cardinales omnes veluti summi Pontificis collaterales exhibet, eorumque dignitatem supra ipsos Patriarchas collocat.

Officia Diaconorum & Notariorum in Conciliis.

§. IX. Diaconi Conciliis adstantes aderant, veluti turba ministra, atque adeo jure suffragii usi non sunt, etsi aliquando ex indulgentia, saltem in Synodis particularibus, suffragium tulisse videntur, ut videre est in mox citato Concilio Romano sub Symmacho, ubi eadem prorsus formula Episcopi, Presbyteri, & Diaconi subscribunt. Presbyteri quoque & Diaconi scientia & eruditione præcellentes cum hæreticis præsentibus disputabant, quo nomine Origenes Arabico, Malchion Presbyter Antiocheno, & Athanasius Diaconus Nicæno interfuerunt (*d*). Adventantes item Episcopos Diaconi in Concilium deducebant. Et Archidiaconus Clericorum & reli-

(*a*) Conf. Habert. not. in lib. pontific. Græcor. p. 175.
(*b*) Ap. Justel. in biblioth. Jur. canon. veter. p. 259.
(*c*) Ap. eundem pag. 272.
(*d*) Euseb. hist. eccles. lib. 6. c. 37. & lib. 7. c. 28., Socrat. lib. 1. c. 8.

liquorum fidelium querimonias ad Synodum deferebat (*a*). Ex reliquis Clericis, qui aderant Episcopis suis ministraturi, multi erant notarii, qui per notas & compendia verborum celeriter scribebant, ut loquentium verba adsequerentur. Usus notariorum in Ecclesia antiquissimus est, iique adhiberi consueverunt ad excipiendas sententias & dicta quædam ore tantum prolata, quæ Ecclesiæ institutioni & regimini poterant inservire (*b*). Ergo celeri scriptura excipiebant gesta Martyrum, sermones celebrorum concionatorum & dicta omnia in actionibus Conciliorum pronunciata. Sed Conciliis alterius generis aderant notarii, quorum id erat officii, tabulas publicas, citationes testimonia, petitorias disceptationes, libellos supplices & hujus generis alia in Concilio offerri legi solita, recitare. Et hi ferme Diaconi, & interdum aliquis Presbyter eorum princeps erat, inde *primicerius notariorum* appellatus (*c*).

Qui ex Monachis judices in Conciliis sedent.

§. X. Monachi quoque Conciliis adesse consueverunt sed tanquam honorifici spectatores & testes, non ut judices. In Concilio Chalcedonensi quum catholici Episcopi vidissent quosdam Monachos & laicos, qui cum Dioscoro venerant, ut Concilio interessent, exclamarunt: *mitte foras superfluos: Concilium Episcoporum est.* Et contra Canones profecto fecit Theodosius Imperator, qui Barsumæ archimandritæ ad Latrocinium Ephesinum literis suis accersito plenum suffragium decrevit (*d*). Hinc in antiquis Conciliis si quando subscripserint Abbates, non judicantes id faciebant, quod probat diversa subscriptionis Episcoporum & Abbatum formula in Concilio Constantinopolitano I. usurpata. Illi enim subscribunt hac formula *Basilius Episcopus N. judicans subscripsi*: hi vero subscribentes verbum *judicans* omittunt. Quo subscriptionis discrimine constat, Episcopos in Conciliis adesse ut judices, Abbates vero sententiæ Episcoporum adhæsisse. Verum in nova disciplina Abbates consecrati, & superiores generales ordinum pleno suffragio in Conciliis generalibus utuntur, quod à tempore Concilii Basileensis receptum est, ut Jueninus observat. Ubi spiritualis animarum cura & jurisdictio Abbatibus & Præpositis generalibus accessit, incongruum visum non est eos tanquam judices in Conciliis sedere.

Fideles laici Conciliis præsentes.

§. XI. Præterea Synodis fideles laici interesse consueverunt. Certe Concilio Apostolorum de legalium controversia omnis fidelium mul-

(*a*) Conc. Tolet. IV. Can. IV.
(*b*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 3. c. 13. §. 5.
(*c*) Conc. Ephes. act. I in act. I. Conc. Chalced.
(*d*) Conf. N. Alexand. Hist. eccles. sæc. V. c. 3. art. 13. §. 8.

multitudo adfuit (*a*), & in Synodis deinde celebratis nobiles laicos & ipsam plebem præsentem fuisse universa testatur antiquitas (*b*). Ipsi viri Principes & eorum magistratus Synodis generalibus interesse consueverunt. Ita Constantinus M. Nicæno, Marcianus Chalcedonensi, Philippus Francorum Rex Viennensi, Sigismundus Imperator Constantiensi Conciliis interfuerunt. Sed in Oriente Principes aut eorum Ministri Synodis provincialibus aut patriarchalibus, quæ ordinario jure habebantur, interesse non solebant, quod Synodus octava generalis docet (*c*); *non interfuisse illos* (hoc est Principes) *Synodis, exceptis Conciliis generalibus, invenimus.* Contra in Gallia & Hispania Synodi præsente Rege, aut ejus Ministris sæpe fiebant (*d*). Sed labentibus annis non omnibus promiscue fidelibus laicis concessum Synodis particularibus interesse, idque fortasse ad turbas evitandas; invaluit enim mos Synodos habere clausis Ecclesiæ januis, & ad conventum tantum admitti laicos, qui electione Concilii interesse meruissent, ut Synodus Toletana IV. habet (*e*). Itaque in præsenti disciplina Synodis provincialibus aut episcopalibus tum viri nobiles aliique laici possunt adesse, si id consuetudo ferat, aut si à Synodis ex aliqua justa causa invitentur, aut eorum præsentiam rerum adjuncta exposcant (*f*). Aderant vero Imperatores aliique fideles in fidei tractatibus & decisionibus, at ubi canonica de Episcopis & Clericis judicia tractabantur discedebant (*g*), qui mos præsertim in Oriente obtinebat.

Laici jure suffragii nunquam usi.

§. XII. Præsentes autem Synodis Principes aliique fideles non dicebant sententiam, sed potius discebant, itemque Principes & magistratus ordinem conservabant, & ab Episcopis dictatam fidem confirmabant. Et male profecto recentiores hæretici etiam laicis, saltem divinæ legis peritis, suffragii jus in Synodis esse contendunt. Sane in conventu Apostolorum de legalibus convenit quidem omnis fidelium multitudo; at tantum Apostoli & Presbyteri sententiam dixerunt (*h*): nec audiendi sunt hæretici, qui in hac Apostolorum Synodo totam Ecclesiam judicasse ajunt, nam nisi mens læva fuisset, facile erat observare, universam Ecclesiam judicasse, ubi actum est de mittendis fratribus, qui decretum ad Antiochenos deferrent, non item ubi tractabatur de principe controversia, quæ tantum ab Apostolis & senioribus definita est. Nec hære-

(*a*) Actor. XV.
(*b*) Euseb. lib. 3. cap. 8., Leo M. ep. XCIII. c. 16. ad Thurib. Austricens.
(*c*) Conc. VIII. Can. XVII.
(*d*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 2. c. 17. n. 3.
(*e*) Conc. Tolet. IV. Can. IV.
(*f*) Conf. Benedict. XIV. de Synodo diœces. lib. 3. c. 9. n. 5.
(*g*) Conf. Thomass. diss. XII. in Conc. Chalced. n. 46. & seqq.
(*h*) Act. cap. XV.

reticos juvat, quod ex Patrum sententia clavium potestas toti Ecclesiæ concessa sit; nam ejus usus & exercitium ad solos Episcopos & Presbyteros spectat, essetque profecto quavis ochlocratia pejor Ecclesia, si christiani quilibet in usu clavium partem haberent. Hinc illud Ambrosii (*a*) *si conferendum est de fide, Sacerdotum debet esse collatio.* Et Valentinianus Imperator, teste Sozomeno (*b*), Episcopis fidem Nicænam restaurare sollicitis respondit, *sibi, qui unus ex laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere.*

Boehmerus laicos de disciplina in Conciliis judicasse docet.

§. XIII. At hic iterum nobis audiendus est Boehmerus, qui ex confœderata disciplina, unde originem Conciliorum derivat, etiam contendit, universam Ecclesiam, atque adeo plebem, in consistoriis ecclesiasticis, incorrupta adhuc Ecclesia, ubi de disciplina tractandum erat, judicem sedisse (*c*). Provocat ad Tertullianum, qui conventum ad judicandum veluti ab universa Ecclesia coactum, præsidentibus tamen senioribus, repræsentat (*d*). Addit varia Cypriani loca, ubi etiam plebem in judiciis ecclesiasticis sedisse constat. Ita quum quidam Presbyteri temere cum lapsis communicassent, nondum præstita satisfactione, Cyprianus voluit, *ut interim prohiberentur offerre, acturi & apud nos & apud confessores ipsos & apud plebem universam causam suam, quum Domino permittente in sinum matris Ecclesiæ colligi cœperimus* (*e*). Et ad fratres in plebe consistentes scribit (*f*): *fecerunt ad nos de quibusdam beati Martyres litteras, petentes examinari desideria sua; quum pace nobis omnibus à Domino prius data ad Ecclesiam regredi cœperimus, examinabantur singula præsentibus & judicantibus vobis.*

Systema Boehmeri confutatur.

§. XIV. Hæc & alia, quæ in eandem sententiam congeruntur, speciosa quidem videri possunt, sed non evincunt, etiam plebem in conventibus Ecclesiæ pro jure suo cognovisse & judicasse. Libenter affirmaverim, in judiciis de disciplina etiam laicos judicasse; sed potius facto & indulgentia, quam jure factum dicendum est. Nimirum quando adhuc persecutionis æstus effervescebat, temporis ipsa ratio postulare videbatur, ut in omnium conventu sontes judicarentur: nec enim facile sperari poterat, ut excommunicati tanquam ethnici & publicani ab omnibus haberentur, & semel ejectos iterum omnes admitterent, nisi crimina universæ Ecclesiæ innotescerent, aut ipsa judicaret, quod Rigaltius observat (*a*). Sane aperte ex ipso Cypriano constat, plebem ad judicandum convenisse, quod ipse ab initio episcopatus constituisset, omnia in conventu tractare, non quod illa ab origine potestate judicandi polleret: *quando à primordio episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro* (scribit Presbyteris & Diaconis) *& sine consensu plebis mea privatim sententia gerere; sed quum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis, quæ gesta sunt, sicut honor mutuus poscit, in commune tractabimus* (*b*). Et quis porro sibi persuadeat, sub Cypriano plebem in Ecclesiæ consistoriis pro suo jure cognovisse, quando Cyprianus universam Ecclesiæ potestatem penes Sacerdotes jure divino esse sæpe docet, & quidem veteris sacerdotii exemplo, ea tantum differentia, quod judaici Sacerdotes gladio externo, christiani spirituali utantur (*c*). Vidit Boehmerus (*d*) difficultatem, aitque varium in hac re fuisse S. Martyrem, & una manu plebi jus suum tribuisse, altera denegasse. At quid facies homini, qui Cyprianum laudat, ubi systemati suo consentit, eundem sibi per omnia adversum repudiat?

Negotia in Synodis tractanda.

§. XV. Quæ in Synodis ecclesiasticis tractari debent, ad tria ferme capita reducuntur, fidem nempe, disciplinam, & judicia, sive criminalia, sive civilia. Ante omnia vero quæ fidei sunt, ex antiquis regulis tractantur & finiuntur, tum ad disciplinam devenitur, quod Pelagius II. scribit ad Eliam Aquilejensem. Dogmata fidei digeri & formari consueverunt per διατυπώσεις, sive descriptiones, exponi vero per symbola, seu formulas fidei & synodicas epistolas, aut etiam per anathematismos adversus hæreticos (*e*). Sed quæ ad disciplinam pertinent, Canonibus proposita sunt, licet Synodus Tridentina etiam Canonum nomine anathematismos contra hæreticos evulgarit. Hæc duo adeo Synodis inerant, ut imperfecta Synodus antiquis videretur, quæ nullos de disciplina Canones edidisset, ut constat ex Synodo Trullana, quæ celebrata est tantum ad Canones condendos; quos, constabilita fidei doctrina, Synodi quinta & sexta generales omiserant, & hinc illa *quini-sexta* dicta est, quasi quæ ad earum supplendum defectum coaluerit. Cæterum ubi potestas ecclesiastica à Patribus positos fines egressa est, Concilia in Occidente celebrata etiam res civiles ventilare & decernere cœperunt, vel quia illæ ad religionem ampliandam spectare, vel quia peccati materiam continere, vel quia spiritualibus adnexæ viderentur. Res fidei in Synodis generalibus definitæ omni-

no

(*a*) Ambros. ep. XXXII.
(*b*) Sozomen lib. 6. cap. 7.
(*c*) Boehm. dissertationib. eccles. diss. 3. §. 62. & seq.
(*d*) Tertull. apol. c. p. 39.
(*e*) Cypr. ep. 16. edit. Amstelod. an. 1700.
(*f*) Cyp. ep. XVII ejusd. edit.

(*a*) Rigalt. in epist. XIV. Cypr. eiusd. edit.
(*b*) Cypr. ep. XIV.
(*c*) Cypr. ep. III. IV. & LIX ejusd. edit.
(*d*) Boehm. loc cit. §. 66.
(*e*) Conf. Doviat. prænot. lib. 2. cap. 1. n. 8.

no certæ sunt, at decreta circa disciplinam non semper meliora continent, quod præsertim Synodos recentiores spectat. *Concilia* generalia, inquit Diaconus Payva Lusitanus, unus ex celebrioribus Tridentinæ Synodi theologis (*a*), *in dogmatibus fidei non possunt errare: circa leges ad Ecclesiam componendam latas possunt errare, & non semper salubriora statuunt.* Sed moribus jamdiu receptis Synodi provinciales & episcopales de rebus fidei ferme nihil tractant, & judicia extra Synodos agitantur.

Locus habendis Conciliis.

§. XVI. Ordinarius autem habendis Conciliis ecclesiasticis locus Ecclesia est. Et profecto ferme omnes tam generales quam particulares Synodi in Ecclesiis coactæ sunt, quod multis adductis exemplis Mendoza illustrat (*b*). Inde intelligitur illud Leonis M., qui *coram beatissimo Apostolo Petro*, hoc est in Ecclesia S. Petri, consessus ecclesiasticos haberi scribit (*c*). Nomen vero Ecclesiæ latiore sensu in hac causa accipitur, ut etiam exedras, seu ædificia Ecclesiæ adjacentia, complectatur. Ita in basilicæ secretario, quod inter exedras magnum erat ædificium, Concilia Carthaginensia tertium, quartum, quintum & sextum habita sunt: quo factum recte observat Cangius, ut ipsæ Conciliorum sessiones *secretaria* dicerentur (*d*). Item in baptisterio Sophiano acta Concilia in Synodo Chalcedonensi proditum est (*e*). Et Leo Allatius nonnulla Concilia in catechumeniis celebrata recenset (*f*): quo etiam loco Synodum VIII. celebratam ex Niceta aliisque Cangius demonstrat (*g*). Erant vero catechumenia porticus in altum Ecclesiæ elaboratæ, in quibus mulieres à viris secretæ considebant, psalmodiam & Dei verbum auscultaturæ. Ecclesia autem habendis Synodis provincialibus & episcopalibus est ipsa Ecclesia metropolitana & cathedralis, quamvis ex causa etiam in aliis provinciæ aut parœciæ Ecclesiis possint haberi. Cæterum etiam extra Ecclesiam Synodos licet habere, ut constat ex Synodis sexta & quini-sexta, quæ Constantinopoli in regiarum ædium laqueato cubiculo, quod *trullus* vocabatur, celebratæ sunt (*h*).

Ordo & forma consessus in Synodis.

§. XVII. Solemni vero forma rituque Concilia haberi consueverunt, ut ordine omnia fierent & dignitas consessus servaretur. Præce-

(*a*) Payva Defens. Trid. fidei lib. 1. de Concilior. general. auctorit.
(*b*) Mendoza not. in Conc. Illiberit. cap. 9.
(*c*) Leo M. in Decret. cap. 13.
(*d*) Cang. comm. in Paul. Silentiar.
(*e*) Conc. Chalced. act. I.
(*f*) Leo Allat. de Consessu lib. 2. cap. 11. & seq.
(*g*) Cang. Descript. ædis Sophianæ ad calcem Cinnami n. 38.
(*h*) Conf. Cabassut. not. ecclesiast. sæculo I.

cedente indictione Episcopi cæterique, quibus suffragii, conveniendive jus est, in locum Synodi celebrandæ stato die conveniunt. Consessus in coronæ formam instituitur (*a*), ubi Episcopi primo ordine sedent, servata Ecclesiarum & ordinationis suæ prærogativa: nobiliorem vero locum occupat, qui Synodo præest. Et si in Synodis generalibus olim Romani Pontificis legati à sinistra parte sederint, id factum est, quod ex moribus Romanis pars sinistra dignior haberetur (*b*). Sed in præsenti disciplina ad utrumque Pontificis latus adsident Cardinales, etsi non Episcopi; ut sunt enim præsentes mores, Cardinales supra Patriarchas reputantur. Post Episcopos in Synodis generalibus Abbates sic dicti mitrati sequuntur, ac deinceps generales ordinum Præpositi. Presbyteri à tergo Episcoporum sedent, Diaconi & reliqui Clerici adstant; at in Synodis unius episcopatus Presbyteri uno consessu cum Episcopo locantur; & quidem ex veteri disciplina secundum ordinationis tempus; novis moribus, qui jurisdictionem aut dignitatem obtinent, cæteris præferuntur; inde Parochi sedent, sed secundum tempus, quo parœciis præfecti sunt (*c*). Omnes vero sacris vestibus & cuique ordini propriis consessus exornant. Suo quoque loco sedebant Imperatores, aut magistratus ab iisdem retinendi ordinis causa delegati. Ita Constantinus M. in medio Synodi Nicænæ consedit (*d*); & in Chalcedonensi magistratus ante altaris cancellos medii inter Romanos legatos & Dioscorum Alexandrinum locum habuerunt. In medio consessus sacer thronus collocari consuevit, cui duo codices impositi, Evangeliorum unus, alter Canonum, ut ad eos, veluti ad Lydios lapides, hinc fidei dogmata, inde morum & disciplinæ regulæ explorari possent. Reliquiæ quoque & imagines Sanctorum ad Synodos delatæ, ut consessus sacratior videretur. Sic dispositio conventu funduntur preces, & tum actiones conciliares incipiunt.

Negotia quomodo in Synodis tractanda & finienda.

§. XVIII. Verum enimvero ut omnia in Conciliis recte procedant, & sancti Spiritus lumen adfulgeat, plura servanda sunt. Principio (I) omnia ad normam Scripturæ & traditionis expendenda; Spiritus quippe sanctus non nisi facta inquisitione Episcopis una coactis adsistit: qua de re Synodus Apostolorum de legalibus præluxit, ubi magna facta inquisitione decretum editum est (*e*). Patres (II) quoque sincero veritatis & religionis zelo convenire & tractare debent, metu, fraude & humanis affectibus prorsus rejectis; si enim humanis affectibus Patres agantur, Christus

(*a*) Conc. Tolet. IV. Can IV.
(*b*) Conf. N. Alexander sæcul. IV. diss. 12.
(*c*) Conf. Benedict. XIV. de Synodo diœces. lib. 3. cap. 10.
(*d*) Euseb. lib. 1. de Vita Constant. cap. 44.
(*e*) Actor. XV. 7.

tus non adest. Hinc Synodi Ariminensis & Latrocinii Ephesini nulla auctoritas fuit, quod in illa per fraudem dubia fidei formula Patres decepti sunt; hæc vero nullo ordine & per vim à Dioscoro factam omnia tractavit. Pleraque quarti sæculi Concilia humanis affectibus agitata fuerunt, de quibus accipiendus Gregorius Nazianzenus, qui ait, se nullius Concilii finem lætum faustumque vidisse, quin potius ea ad malorum incrementum ansam præbuisse (*a*). Nec posteriora Concilia omnia humanis affectibus libera fuerunt, ubi de disciplina emendanda agebatur. Decreta demum (III) ad fidem pertinentia unanimi Patrum consensu proferenda sunt; *neque enim in fidei decretis*, inquit Bossuetius (*b*), *quid privati quique seorsim sentiant, sed quid communis traditio omnes doceat, attendendum est.* Unanimis vero Patrum consensus habetur, si ferme omnes in idem consentiant; nec enim paucorum dissensus universitati pondus detrahit (*c*). Hinc ubi de fide agitur, locus non est regulis, quas in electionibus servari Canones jubent.

Conciliorum actiones, acta & qui data suffragia.

§. XIX. Res omnes, sive ad fidem, sive ad disciplinam pertinentes, de veteri more in ipso publico consessu tractabantur, consessusque ipse disputantes partes audiebat. Si res dedicenda facilis esset, uno consessu Synodus finiebatur: at si plura capita discuti deberent, eaque difficilia, Synodi in plures actiones, seu, ut recentiores loquuntur, *sessiones* dividebantur. Aderant notarii, qui dicta omnia scripto excipiebant, inde exorta sunt Conciliorum acta. Suffragia dabantur, vel pedibus eundo in sententiam, vel manus porrigendo, ut plurimum vero per acclamationes. Ubi Episcopus aliquis loquebatur, eique omnes assentiebantur, dicentis nomine omisso, notarii scribere solebant, *sancta Synodus dicit*: & ubi plerique in idem conveniebant, scribebatur, Episcopos exclamasse, aut affirmasse: & res ita dictæ tanquam definitiones habebantur. Quod si in contrarium etiam disputaretur, disputantium nomina & opiniones etiam notarii excipiebant, judices vero, aut præsidentes decidebant (*d*). Sed labentibus annis, fortasse ad faciliorem materiarum expeditionem, placuit, res in Synodis definiendas prius secreto tractari, & in ordinem redigi. Hinc natæ in Conciliis congregationes, in quibus à selectis viris doctrinæ aut disciplinæ capita discutiuntur & ordinantur. Et quoniam in particulares congregationes non omnes conveniunt, ante sessionem institui cœpit congregatio generalis, ut omnes intelligant res digestas, & reponant, si quid minus placeat. Quæ quidem generalis congregatio ex veteribus regulis veram Synodum exhibet. Inde solemnis sessio celebratur, in qua præcibus præmissis decreta sine ulla contradictione leguntur & probantur; inde in acta referuntur, omissis tractibus, qui in congregationibus habiti sunt.

(*a*) Nazianz. ep. LV. ad Procop.
(*b*) Bossuet. defens. cleri Gallic. lib. 1. cap. 2.
(*c*) Conf. Febron. de statu Eccles. cap. 6. §. 8. n. 9.
(*d*) Conf. Sarpus lib. 2. Hist. Conc. Trid. n. 30.

Subscriptiones Conciliorum.

§. XX. Concilia de veteri more, etiam posteriori ætate retento, per acclamationes finem accipere consueverunt, easque Patrum subscriptiones sequuntur. Subscriptiones eo ordine institutæ, quo Patres in Synodis sederant (*a*): ante omnes vero subscripserunt Pontificis legati, licet Presbyteri & Diaconi essent. Qui vicaria alterius opera Conciliis aderant, illius nomen, unde missi erant, addebant. Episcopi initio nomen suum Ecclesiæ, cui Præfecti erant, apposuerunt: inde subscribentes *Dei gratia*, vel *Dei misericordia* se Episcopos professi sunt: & aliquando in singularis modestiæ & humilitatis argumentum se dicebant *humiles*, *indignos*, *minimos peccatores*. Subscriptiones, quibus hæretici damnabantur, aliquando factæ sunt calamo Christi sanguine intincto: qua ratione Theodorus Papa Pyrrhi monothelitæ damnationi, & inde Photii depositioni Episcopi subscripserunt. Ritus iste Græcis peculiaris fuit, illumque adhibuit Theodorus Papa, quod Græcus homo erat (*b*). Missa item sunt Concilia ad Episcopos absentes, ut illis subscriberent, & aliquando etiam ad Monachos sanctitatis laude insignes (*c*): subscribentes vero Monachi confessionem suam Synodorum definitionibus congruam testabantur. Ipsi quoque Imperatores Conciliis non semel subscripserunt, non quidem tanquam judices in causis fidei, sed tanquam synodalibus decretis adhærentes, eaque confirmantes.

Synodi non omnes sunt ejusdem auctoritatis.

§. XXI. Jam non omnes Synodi ejusdem ponderis & auctoritatis sunt, idque propter variam eorum, qui eas celebrant, potestatem. Auctoritas Synodorum œcumenicarum per universam valet Ecclesiam, diœcesanæ diœcesi, provinciales provincia, episcopales episcopatu includuntur. Sed non tantum finibus, verum etiam doctrinæ pondere particularia Concilia œcumenicis cedunt: quin ex Augustini sententia ipsa Concilia plenaria priora posterioribus cedunt, quum aliquo experimento cognoscitur, quod latebat (*d*). Quæ doctrina si de Conciliis plenariis ex orbe universo intelligatur, ad res disciplinæ restringenda est: nec enim puto, tenuisse Augustinum etiam in fidei dogmatibus œcumenica Concilia priora à posterio-

(*a*) Gregor. M. lib. 7. ep. CXII.
(*b*) Conf. Christ. Lupus diss. de Sexta Synodo gen. tom. 3. oper. E. V.
(*c*) Evagr lib. 2. cap 9. & seq.
(*d*) August. lib. 2. de Bapt. cap. 3.

rioribus emendari. Bene Isidorus: *Quotiescunque discors sententia invenitur in gestis Conciliorum, illius Concilii magis teneri sententia debet, cujus aut antiquior, aut potior extat auctoritas* (a). Inter generalia Concilia præsertim eminent quatuor priora, Nicænum nempe, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, quæ à Gregorio M. ipsis quatuor Evangeliis comparantur (b), eorumque dogmata sicut sanctas Scripturas accipi, & regulas pro legibus observari ab Justiniano statutum est (c). Quod si Synodi particulares majori auctoritate probentur, aut ab aliis Ecclesiis recipiantur, tum limitata eorum potestas ulterius producitur, adeo ut aliquando universam Ecclesiam obligent.

CAPUT X.

De Synodis episcopalibus.

Synodus Episcopi distat à presbyterio.

§. I. Synodus episcopalis, seu *diœcesana*, ut passim appellatur, est conventus Presbyterorum & Clericorum unius parœciæ ab Episcopo indictus, in quo de rebus ad curam pastoralem pertinentibus agendum & deliberandum est. Ita descripta Synodus diversa est à presbyterio, erratque profecto Espenius, qui ea duo confundere videtur (d). Presbyterium quippe ex solis Presbyteris & Diaconis civitatis constabat, eratque veluti perpetuus & stabilis senatus, qui Episcopo negotia ecclesiastica tractanti adhærebat (e): quo spectat Hieronymus, dum ait (f): *non habemus senatum nostrum cœtum Presbyterorum*: Synodus vero ex totius parœciæ Presbyteris & Clericis coalescit. Abbates quoque ad Synodum Episcopi pertinebant (g); nec tamen illi unquam in presbyterio locum habuerunt. Quod si apud veteres scriptores Synodus episcopalis aliquando *presbyterium* dicatur (h), id non arguit ab ordinario Ecclesiæ senatu distinctam non fuisse: nomen enim *presbyterii* origine sua generale est, & Synodo totius parœciæ, quæ amplius & augustius presbyterium componit, recte convenit.

Qui Synodum episcopalem possunt habere.

§. II. Celebratio Synodi diœcesanæ pars est spiritualis potestatis

(a) Can. XXVIII. D. 50.
(b) Gregor. M. lib. 1. ep. XXIV. ap. Grat. Can. II. D. 15.
(c) Novell. CXXXI. pr.
(d) Espen. part. 1. tit. 18. c. 1.
(e) Conf. dict. part. 1. c. 16. §. 4.
(f) Hieronym. in c. II. Isaiæ.
(g) Can. XV. D. 18.
(h) Siric. Papa ep. II. ap. Harduin. tom. 1. Concil. col. 832.

tis & jurisdictionis, qua Christus Ecclesiam armavit suam. Ita Synodum indicit celebratque Episcopus (a), & quidem etiam antequam consecretur, modo confirmatus sit (b). Nimirum in nova disciplina Episcopi potestatem Ecclesiæ administrandæ, quam dicunt *jurisdictionis*, per confirmationem accipiunt. Prælati quoque inferiores, qui diœcesim separatam & quasi episcopalem jurisdictionem habent, etiam Synodum cogere possunt, modo expresso Sedis Apostolicæ privilegio ad Synodum habendam augeantur, & privilegium in usum deductum sit (c). Item Vicario capituli sede vacante jus est Synodi cogendæ, modo annus dilapsus sit à Synodo per Episcopum celebrata (d). Sede enim vacante capitulum jure ordinario Ecclesiam regit, exercetque omnia, quæ episcopalis jurisdictionis sunt, non item quæ sunt ordinis. Carent vero jure habendæ Synodi Episcopi annulares, seu titulares, qui in nudum Episcopi nomen ordinantur, & reapse nulli Ecclesiæ præsunt. At Vicarius generalis tum Synodum indicit, celebratque, si speciali Episcopi mandato donatur (e).

Qui Clerici Synodi episcopali debent interesse.

§. III. Non minus Clerici quam Abbates ad Synodum episcopalem vocandi sunt (f). Et Clerici quidem in veteri disciplina erant præcipue Parochi, qui generali *Presbyterorum* nomine ad Synodum vocantur eique præsentes exhibentur (g). Synodus episcopalis ad curam animarum promovendam celebratur, atque adeo ad eam præcipue debent convenire, quibus aliqua dominici gregis portio commissa est, ut collatis sententiis irrepentes abusiones extirpentur. Una cum Parochis & reliqui Clerici etiam conveniebant, præsertim vero Presbyteri & Diaconi civitatis, qui Ecclesiæ senatum componebant. Sed in nova disciplina præter Parochos ex doctorum placitis ad Synodum vocandi sunt etiam Clerici, qui dignitatem, aut personatum obtinent, item Vicarius generalis, quem etiam præsente Episcopo Synodo adesse decet, & expedit; item sic dicti Vicarii *foranei* (h), qui in pagis & oppidis episcopatus constitui solent, ut in causis levioris momenti jus dicant. Vocari quoque debent ex receptiori sententia ad Synodum Ecclesiæ cathedralis Canonici, qui senatum Ecclesiæ repræsentant. Alii quoque Ecclesiæ cathedralis beneficiarii vocati Synodo possunt & debent interesse, eoque etiam vocandi Canonici collegiatarum Ecclesiarum, itemque reliqui diœcesis

(a) Can. XVI. D. 18.
(b) Conf. Botius de Synod. diœces. part. 1. n. 26. & seq.
(c) Conf. Card. Petra tom. 5. sect. 2. n. 104. & seq.
(d) Conf. Bened. XIV. de Synod. diœces. lib. 2. c. 9. n. 6.
(e) Alteser. de Jurisd. eccles. lib. 5. c. 5.
(f) Can. XVI. D. 18.
(g) Conc. Antissiodor. an. IↃLXXVIII Can. VII.
(h) Conf. Bened. XIV. de Synod. diœces. lib. 3. c. 3.

sis beneficiarii & Clerici, si id receptæ consuetudines habeant, aut de rebus ad universum clerum spectantibus tractandum sit (*a*).

Exempti quando Synodo episcopali adesse debent.

§. IV. Abbates quoque, seu Monachorum superiores ad Synodum diœcesanam pertinebant, erant enim Episcopo subjecti (*b*), eique de spirituali Monachorum cura rationem reddere tenebantur. Non tamen simul cum Presbyteris Monachi conveniebant, sed in aliquibus Ecclesiis duæ per annum Synodi habebantur, una medio Majo, ad quam omnes Presbyteri, altera Kalendis Novembris, ad quam omnes Abbates conveniebant (*c*). Quod si Synodus Turonensis decernat, non cogendos Abbates, ut ad Synodum veniant, nisi ex rationabili causa (*d*); id ita intelligendum docet Alteserra (*e*), non esse cogendos Abbates iterum in anno venire ad Synodum, si forte extra ordinem convocetur, nisi rationabilis causa postulet. Sed ubi Monachi ab episcopali jurisdictione exempti sunt, obligatio Abbatum conveniendi ad Synodum nulla esse cœpit, nisi Monachi Ecclesias parœciales, & decimas haberent, quia harum nomine de spiritualibus Episcopo reddere rationem cogebantur. Cæterum ex novis Tridentinæ Synodi regulis exempti omnes in diœcesi existentes, qui capitulis generalibus non subduntur, ad Synodum accedere tenentur: quin ratione parœciarum & aliarum Ecclesiarum sæcularium etiam annexarum, qui illarum curam gerunt, etiam Monachi capitulis generalibus subjecti, Synodo interesse coguntur (*f*). Quicunque vero adesse debent, etiam exempti, ad officium pœnis canonicis ad Episcopo recte compelluntur (*g*).

Quoties Synodus episcopalis celebranda.

§. V. Jam ex veteris disciplinæ regulis episcopalis Synodus bis in anno habenda est, idque ad exemplum Synodi provincialis, cujus decreta in Synodo Episcopum publicare oportebat (*h*). Inde quum paulatim invaluisset, Synodos provinciales semel in anno debere celebrari, una quoque invaluit, ut Synodi episcopales semel quotannis haberentur, quod jus Innocentius III. in Concilio generali agnoscit, & probare videtur (*i*); quamvis in aliquibus Ecclesiis steterit disciplina de Synodo bis in anno celebranda. Tandem Synodus Tridentina annuam Synodorum episcopalium celebrationem præcepit.

(*a*) Bened. XIV. loc. cit. c. 6.
(*b*) Can. XVI. c. 18. q. 2.
(*c*) Cit. Can VII. Conc. Antissiod.
(*d*) Can. XI. D. 18.
(*e*) Alteser. de Jurisd. lib. 2. c. 19.
(*f*) Trid. sess XXV. de Reform. c. 2.
(*g*) Conf. Fagnan. ad cap. *Quod super* ext. de Majorit. & obed.
(*h*) Can. XVII. D. 18.
(*i*) Cap. 25. ext. de Accusationib.

pit (*a*), etsi alioquin ad disciplinæ emendationem frequentiores Synodos haberi desideraret. Sed proh dolor! nec usu viget Tridentinus Canon, immo in multis Ecclesiis nec spatio quinquaginta & amplius annorum ullæ Synodi celebrantur: & hinc nihil mirum, quod ecclesiastica disciplina in dies novis abusionibus conspurcatur.

Quæ tractanda in Synodo episcopali.

§. VI. Satis ampla materiarum seges est, quas in Synodis episcopalibus tractari & expediri Canones jubent. Principio de veteri forma audiuntur, & componuntur lites omnes, quas sive Clerici, sive laici intendunt, idque ex bono & æquo, & fori strepitu & calliditatibus omnino rejectis (*b*). Inde expenduntur ea, quæ ad cujusque mores & conversationem spectant, & an unusquisque Clericus recte suo officio fungatur. Sane sub nomine Concilii Bilonensis apud Gratianum statuitur, ut Episcopus in Synodo *& Clericos & Monachos* discutiat (*c*). Et Synodus Arelatensis VI. decernit (*d*), ut quando Presbyteri ad Synodum venerint, *rationem Episcopo reddant, qualiter susceptum officium, vel Baptismum celebrent.* Quin secundum capitularia Presbyteri ad Synodum venientes etiam *de fide catholica* Episcopo jubentur reddere rationem (*e*); quibus verbis constat etiam de fide in Synodis episcopalibus quæsitum fuisse, saltem ut qui non recte crederent, paternis admonitionibus in viam redirent. Lapsa quoque ecclesiastica disciplina in Synodo instauratur, & quæ irrepserunt abusiones, emendantur. Episcopus porro in Synodo Clericis proponit brevia quædam monita, quibus eorum ferme omnia officia & potiora disciplinæ ecclesiasticæ capita continentur, ut paucis expressa facilius memoriæ hæreant, & alacri studio in usum deducantur: quæ monita ætate media *inquisitiones* dicebantur. Item in Synodo episcopali publicantur ea, quæ in Concilio provinciali decreta sunt (*f*). Verum moribus jamdiu receptis in Episcopi Synodo ferme tantum agitur de instauranda disciplina, cujus reformationis sancta consilia nec semper feliciter cedunt: inde enim privilegia & exemptiones, inde pontificiæ reservationes impedimento sunt.

Testes synodales *in Synodis creantur.*

§. VII. Disciplinæ emendationi inserviunt testes sic dicti *synodales*, qui in Conciliis episcopalibus & provincialibus eliguntur. Sunt ejusmodi testes probatæ fidei viri, qui diœcesim unamquanque perlus-

(*a*) Trid. sess. XXIV. de Reform. c. 2.
(*b*) Conc. Salegunsiadiense ap. Burchardum.
(*c*) Can. XVI D. 18.
(*d*) Conc. Aurelian. VI. Can. IV.
(*e*) Cap. Reg. Franc. lib. 7. c. 108.
(*f*) Can. XVII. D. 18. cap. 25. ext. de Accusationib.

lustrant, vitam & mores cujusque, sed sine jurisdictione, exploraturi, quique inde serpentia vitia in futura Synodo emendanda Episcopo aperiunt. Sæculis VIII. & sequentibus Episcopi parœcias visitantes in minutis Synodis, quas in singulis locis cogebant, testes eligere consueverunt, quos de moribus Clericorum & laicorum interrogarent (*a*). Inde placuit Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. per Synodum provincialem in unaquaque provincia institui testes; qui explorarent vitia & abusiones, quas inde Synodus provincialis emendaret (*b*). Horum fortasse exemplo alii id genus testes in Synodo episcopali per singulas diœceses instituti cœperunt. Eliguntur autem testes in Synodo provinciali ex qualibet diœcesi saltem duo; at in episcopali septem pluresve, ut S. Carolus habet. Testes electi conceptis verbis jurare debent, se muneris sui partes sancte expleturos. Cæterum testes synodales una cum Synodis desierunt: eorumque loco Episcopus Synodum celebraturus Parochos, Vicarios sic dictos *foraneos*, aliosque probos & sapientes viros de vitiis succrescentibus sciscitabitur.

Examinatores synodales *in Episcopi Synodo eliguntur.*

§. VIII. Præterea in Synodo diœcesana creantur *examinatores*, & *judices* sic dicti *synodales*: & examinatores quidem sunt Clerici doctrina & probitate insignes, qui una cum Episcopo publicum & solemne examen ad conferendas parœcias instituunt. Nimirum ubi placuit Tridentinis Patribus parœcias per publicum examen dignioribus conferri, statutum quoque est, ab Episcopo vel ejus Vicario sex saltem examinatores in diœcesana Synodo quotannis proponi, *qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur*, ex quibus ubi aliqua parœcia vacaverit, tres saltem seligi debeant, qui una cum Episcopo examen perficiant. Eligi autem debent in examinatores, qui aliquo theologiæ, aut sacrorum Canonum gradu aucti sunt, aut alii Clerici, aut regulares, qui magis idonei videantur: electi vero jurejurando promittunt, se ex fide, non gratia, metu, aut odio munus executuros (*c*). Munus examinatorum est annale, seu ad annum durat; quotannis enim in Synodo eligi debent, aut veteres confirmari: moribus vero præsentibus, quod Synodi raro admodum celebrantur, ipsi Episcopi quotannis ex venia sacræ Congregationis extra Synodum eligunt examinatores, qui à majori parte capituli probandi sunt (*d*), ut ita electio synodalis quodammodo exprimatur.

Ju-

(*a*) Can. VII. c. 35. q. 6, Conf. dict. part. 1. c. 7. §. 4.
(*b*) Cap. 25. ext. de Accusationib.
(*c*) Trid. sess. XXIV. de Reform. c. 18.
(*d*) Conf. Bened. XIV. de Syn. diœces. lib. 4. c. 7. n. 9. & seq.

Judices synodales *in Synodis creantur.*

§. IX. Quod vero spectat ad judices synodales, eo nomine veniunt Clerici canonicis aucti qualitatibus, & in Synodo designati, quibus causæ à Sede Apostolica in partibus delegandæ committi debent. Magna est causarum copia, quæ à summo Pontifice, sive primo judicio, sive per appellationem judicantur. Quum vero satis difficile sit de rebus, quæ in longinquis regionibus emergunt, rectum Romæ institui judicium, Romani Pontifices leviora negotia judicibus in partibus delegare consueverunt. Judices autem hujusmodi ex Bonifacii VIII. constitutione vel in dignitate ecclesiastica, vel in personatu constituti, vel canonici esse debebant (*a*). At quo melius negotium istud expediretur, statuerunt Tridentini Patres, in Synodo diœcesana, aut provinciali designari Clericos idoneos & canonicis qualitatibus auctos, quibus præter locorum ordinarios causæ per Pontifices, aut eorum legatos committantur; electorumque nomina ad Sedem Apostolicam transmitti (*b*). Judices isti esse debent in singulis diœcesibus ad minus quatuor, tantumque in Synodo designantur. Quoniam vero Synodi admodum raro habentur, Episcopus ex venia sacræ Congregationis extra Synodum, sed cum consensu capituli judices designat (*c*).

Publicatio Synodi episcopalis.

§. X. Finita Synodo, ut ejus constitutiones possint obligare, publicandæ sunt; id enim commune est legibus omnibus humanis, ut nullam parendi obligationem inducant, nisi jure publicentur. In publicum vero Episcopus Synodum edit vi suæ potestatis, qua Ecclesiam administrat: nec ad Synodi publicationem opus est, ut antea ejus decreta per Pontificem, aut per sacram Concilii Congregationem probentur. Et profecto errat Cardinalis de Luca (*d*), qui docet, Synodos diœcesanas omni vi & efficacia carere, nisi Congregationis confirmatio accesserit: quod ipse Benedictus XIV. observat (*e*). Publicanda vero Synodus non est, nisi prævio regio assensu & probatione, & merito quidem; jamdiu enim in ejusmodi Synodis quædam tractari consueverunt, quæ licet ecclesiastica officia spectant, aut Ecclesiarum jura, temporalia tamen attingunt. Et reapse ad Synodos confirmandas passim civilis potestas interpellata est (*f*).

Qui

(*a*) Cap. 11. de Rescript. in 6.
(*b*) Trid. sess. XXV. de Reform. c. 10.
(*c*) Conf. Bened XIV. loc. cit. c. 5. n. 7.
(*d*) Card. de Luca diss. XXX. ad Conc. Trid. n. 9.
(*e*) Bened. XIV. de Syn. diœces. lib. 13. c. 3. n. 6.
(*f*) Conf. Espen. part. 1. tit. 18. c. 4.

Qui decretis Synodi episcopalis obligantur.

§. XI. Quotquot christiani in diœcesi morantur, sive Clerici, sive regulares, sive laici, utpote qui spirituali Episcopi curæ subduntur, tenentur Synodi episcopalis Canonibus; quos vulgo doctores nostri *constitutiones* malunt appellare, nisi speciali privilegio ejus potestatem excusserint. Sed exemptio generaliter immunes non facit regulares, sed tantum in articulis exemptionis, nam in rebus non exemptis ligantur decretis synodalibus: quemadmodum etiam iis decretis tenentur, quæ spectant materiam, in qua Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato subjiciuntur (*a*). Capitula quoque Canonicorum exempta tenentur decretis synodalibus, quæ morum & disciplinæ reformationem spectant, quod sententiæ Synodi Tridentinæ congruit (*b*), & sacra Congregatio declaravit (*c*). Qui vero de Episcopi diœcesi quidem sunt, sed extra morantur, mos ad propria arva redituri, tempore absentiæ constitutionibus synodalibus adstricti non videntur, nisi absint dolo, & causa excutiendæ obligationis, dolus enim ad declinandam legis obligationem nemini unquam prodest (*d*).

De synodatico, *seu* cathedratico.

§. XII. Clerici ad Synodum convenientes Episcopo præstant *synodaticum*, seu *cathedraticum*, certam nempe pecuniæ summam in cathedræ episcopalis honorem, & signum obedientiæ debitam: etsi non defuerint Ecclesiæ, ubi pensio ista tempore visitationis diœcesis penderetur (*e*). Videtur institutum cathedraticum, ubi singulis Ecclesiis sua bonorum portio tributa est, ut ita de jure summi Sacerdotis in Ecclesiarum bona & Ecclesias ipsas constaret; cathedratico enim locus esse non potuit, quando totius diœcesis redditus in unius Ecclesiæ principis ærarium confluebant. Summa autem hujus pensitationis duobus aureis solidis per annum constabat, nec Episcopis majorem quantitatem exigere licebat, quod Synodi Bracarensis II. & Toletana VII. statuerunt (*f*). Pendunt cathedraticum Ecclesiæ omnes diœcesis sæculares, & Parochi & Beneficiarii omnes, itemque Ecclesiæ & capellæ pleno jure monasteriis adnexæ, quæ legi diœcesanæ, seu oneribus Episcopo debitis subsunt (*g*). Abbates vero etsi in Synodo adesse teneantur; tamen cathedraticum non præstant; ex antiquis enim institutis monasteria ab Episcoporum exactionibus facta sunt immunia (*h*). Debetur vero

(*a*) Conf. Fagnan. ad cap. *Quanto* ext. de Offic. ordin.
(*b*) Conc. Trid. sess XXV. de Reform. c. 6.
(*c*) Conf Espen. loc. cit.
(*d*) Conf Bened. XIV. loc. cit. c. 4. n. 9. & seq.
(*e*) Conc. Bracar. II. Can. II.
(*f*) Cit. Conc. Bracar. II. Can. II. Conc. Tolet. VII. Can. IV.
(*g*) Cap. 16. ext. de Off. judic. ordin.
(*h*) Can. VIII. c. 10. q. 3., & Can. V. c. 18. q. 2.

ro synodaticum singulis annis, etsi Synodus non celebretur; quamvis enim in Synodis pendi consueverit; non tamen ejus pensitatio propter Synodum debetur, sed potius propter cathedræ honorem, & in signum obedientiæ, quæ perpetuo exhibenda est (*a*).

Synodi Archidiaconorum & Decanorum.

§. XIII. Synodo episcopali, quæ ex solida diœcesi cogebatur, addere oportet minutas Archidiaconorum & Decanorum Synodos, in quas Presbyteri unius archidiaconatus aut diaconatus conveniebant, de rebus ad curam animarum pertinentes tractaturi, seu *ut de suo ministerio & religiosa conversatione, atque de his, quæ in eorum parœciis accidunt, sermonem haberent*, quemadmodum Riculphus Suessionensis loquitur (*b*). Minuti isti conventus habebantur quolibet mense, primaque die mensis, quam nullus festus occuparet. Inde conventus isti *Kalendæ* dicti sunt (*c*). Presbyteri convenientes apud confratres suos frugali mensa excipi debebant, non opiparis conviviis, ne sibi mutuo graves essent, quod Hincmarus Remensis edixit (*d*). Receptissimi fuerunt mediis sæculis hujusmodi conventus in Gallia, Anglia & Germania; at in Italia primus eos S. Carolus Borromæus instituisse videtur, ubi præcepit, ut Episcopi diœceses suas in varios tractus, seu parvas regiones partirentur, & earum unicuique Vicarium foraneum vulgo dictum præficerent (*e*). Angustis ferme limitibus includebantur Italiæ episcopatus, ut minime necesse fuerit eos in plures decanatus & archidiaconatus partiri. Contra longe lateque Galliæ, Angliæ & Germaniæ episcopatus porrigebantur, ut hinc in plures eos dividi præfecturas non conducibile tantum erat, sed prope necessarium (*f*).

CAPUT XI.

De Conciliis provincialibus.

Metropolitanus Synodum provinciæ cogit eoque præsit.

§. I. Major & plenior episcopali Synodo est provincialis, ad quam una cum metropolitano totius provinciæ Episcopi conveniunt. Eam indicit metropolitanus, qui cæteros provinciæ Episcopos auctoritate antecellit, nec enim sine illius jussu, seu admonitione Episcopis licet convenire, quod Canones Nicæni & Antiocheni edicunt.

(*a*) Conf. Bened. XIV. de Synodo diœces. lib. 5. cap. 7. n. 7.
(*b*) Riculph. Suessionens. constit. cap. 20.
(*c*) Conf. Cangius v. *Kalendæ*.
(*d*) Hincm. Remens. capit. ad presbyt. cap. 15.
(*e*) Conc. I. Mediolanense cap. 29.
(*f*) Conf. Thomassin. part. 2. lib. 3. cap. 76. n. 3.

cunt (*a*). Postquam Canones duas quotannis ordinarias Synodos in unaquaque provincia haberi voluerunt, necesse erat, quendam constitui, qui totum hoc negotium dirigeret, & tempus locumque Synodi habendæ significaret. Ergo datum metropolitano, qui Episcopus Princeps in provincia erat, Synodum indicere. Quod si metropolitanus legitime impediatur, Episcopus in provincia senior Synodum cogit (*b*): eidemque jus est, si sedes metropolitana vacet, quod post alios Fagnanus docet (*c*). Indicit vero metropolitanus Synodum missis circularibus litteris, quæ *tractoriæ* & *synodicæ* vocantur, in quibus singulorum Episcoporum nomina describuntur. Idem porro metropolita, qui indicit, Synodo præest; qui enim principatu quodam inter judices viget, necessario consessui debet præsidere. Certe Patres Antiocheni illam in Synodum τελείαν *perfectam* habent cui metropolitanus interest (*d*). Metropolitani autem προεδρία nihil de jure Episcoporum deminuit, atque adeo plurimorum sententia debet prævalere, quod Nicæni Patres statuerunt (*e*).

Episcopi provinciæ Synodo debent interesse.

§. II. Synodo per metropolitam stato die indictæ Episcopi provinciæ tenentur interesse, nisi legitimis causis, veluti infirmitate, aut jussione regia impediantur (*f*), quibus casibus vices suas Presbyteris vel Diaconis poterunt demandare (*g*). Quod si Episcopi nulla justa causa detenti ad Synodum non accedant, secundum veteres Canones, aut fraternæ correptioni erant obnoxii (*h*), aut per integrum annum *missas facere interdicebantur* (*i*). Sed Synodus Tarraconensis Episcopos, qui ad Synodum non conveniunt, communione omnium Episcoporum usque ad futuram Synodum privat (*k*): qua pœna correpti Episcopi communicabant quidem cum Ecclesia sua, sed non cum aliis Ecclesiis; eratque excommunicatio ista non mortalis, quæ à corpore Christi adscindebat, sed medicinalis. Si vero in provincia sint Episcopi, qui nulli metropolitæ subsunt, aliquem vicinum metropolitam semel eligere tenentur, in cujus Synodo provinciali cum aliis debent interesse, & ejus decreta observare (*l*). Convenientes autem Episcopi omnes judices sunt, atque adeo suffragium ferunt, & inde *suffraganei* dicti videntur.

In-

(*a*) Conc. Nicæn. Can. V., Conc. Antioch. Can. XX.
(*b*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 2.
(*c*) Fagnan. ad cap. *cum olim* ext. de Accusat. n. 17.
(*d*) Conc. Antioch. Can. XVI.
(*e*) Conc. Nicæn. Can. VI.
(*f*) Can. XIII. D. 18.
(*g*) Conc. Arelat. II. Can. XVIII.
(*h*) Conc. Chalced. Can. XIX.
(*i*) Conc. Aurelian. III. Can. I.
(*k*) Ap. Grat. Can. XIV. D. 18.
(*l*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 2.

Intersunt etiam alii, sive jure, sive consuetudine.

§. III. Simul cum Episcopis, qui in causis ecclesiasticis sunt primigenii judices, in Synodum provincialem etiam alii sive jure, sive consuetudine conveniunt. Ex veteri disciplina Conciliis istis etiam Presbyteri, quin & Diaconi, & aliquando Clerici minores intererant, quod ex subscriptionibus aliisque monumentis constat (*a*). Intersunt quoque provincialibus Conciliis Abbates, qui mediis sæculis & insignia episcopalia & quasi episcopalem jurisdictionem invita monastica disciplina extorserunt. Cavent quoque decretales, ut ad Synodum provinciæ Canonici quoque Ecclesiarum cathedralium invitentur, qui vel per se, vel missis Vicariis intersint (*b*): & moribus quoque locorum etiam Canonici collegiatarum, Archipresbyteri aliique vocandi sunt (*c*). Quicumque vero sint, qui Synodum componunt, tantum Episcopi & Abbates, qui quasi episcopali jurisdictione aucti sunt, ex nova disciplina judices sedent; cæteri vero non decernendi, sed consulendi potestatem habent. *Ne quis in Concilio loquatur*, inquit Synodus Londinensis anno MLXXV. (*d*), *præter licentiam à metropolitano concessam, exceptis Episcopis & Abbatibus.* Ita descivimus à veteri disciplina, quæ etiam Presbyteros & Diaconos ad plenum suffragium admittebat, quod ex subscriptionibus Habertus probat (*e*).

Obligatio frequentandæ Synodi pendet ab ordinatione.

§. IV. Jus autem quo Episcopi adigebantur ad provinciæ suæ Synodum frequentandam, ab ordinatione, quam à metropolita accipiebant, nascebatur; ordinatio enim ordinatos subjiciebat ordinatori: & hinc profectum est, ut *pertinere ad Synodum* & *ad consecrationem* promiscue & passim dicantur Episcopi, qui à primatibus suis pendent. Proponit hanc regulam Justinianus, apud quem Synodos patriarchales etiam complectitur (*f*). *Convenire* debent *apud beatissimos Patriarchas illi, qui ab ipsis ordinati sunt, & qui non habent jus alios Episcopos ordinandi, ut apud sanctissimos metropolitas cujusque provinciæ illi, qui ab eis sunt ordinati.* Sed quinam sunt Episcopi, qui non habent jus alios ordinandi, & tamen ad Synodum Patriarchæ debebant convenire? Eos interpretatur Balsamon Archiepiscopos, quibus nulli suberant Episcopi (*g*): at ætate Justiniani ignota erat nupera illa & à posterioribus Principibus Græcorum excogitata Archiepiscoporum dignitas, qui à metropolitana Synodo refecti nullis

(*a*) Conf. Bingh. Orig. eccles. lib. 2. cap. 19. §. 12.
(*b*) Cap. 10. ext. de his, quæ fiunt á Præl. sine consensu capit.
(*c*) Conf. Espen. part. 1. tit. 20. cap. 1.
(*d*) Ap. Harduin. Collect. Concil. tom. 6. part. 1.
(*e*) Habert. not. in lib. Pontif. Græc. p. 175.
(*f*) Novell. CXXXVII. cap. 4.
(*g*) Balsamon in supplem. ad Can. Synod. in Trullo.

lis Episcopis præerant. Rectius ergo ex Photio observat Petrus de Marca ex verbis Justiniani particulam *μὴ non* expungi debere (*a*), ita ut sensus sit, apud Patriarchas convenire, & qui ab eis ordinati sunt, & qui jus habent alios Episcopos ordinandi. Quidquid vero hujus rei sit, labentibus annis Episcoporum consecrationes in occidente ad Pontificem devolutæ sunt, at interim metropolitæ jure habendæ Synodi non ceciderunt: quod cum antiquis regulis non bene cohæret.

Alienæ provinciæ Episcopi quando ad Synodum accedunt.

§. V. Quando autem conventus Episcoporum provinciæ jure ordinationis cogebantur, non licebat profecto metropolitanis pro potestate sua Episcopos, qui ad alias provincias spectabant, ad Synodum cogere. Et merito Augustinus Hipponensis in Numidia Episcopus, tanquam Canonum temeratorem traduxit Victorinum Numidiæ primatem, qui in provincia sua Synodum agere volens, etiam duarum Mauritaniarum Episcopos evocavit tractoria ad singulos missa (*b*). Aliud vero est, si metropolita amice conjuret alienæ provinciæ Episcopos ad Synodum, ut dissidium, quod in aliqua causa distrahit provinciæ Episcopos, simul expendant, & junctis suffragiis tollant; tum enim metropolitano roganti non sunt negandæ suppetiæ (*c*), & Synodus provincialis accessu finitimorum Episcoporum augustior evadit. Quo spectat unus Antiochenæ Synodi Canon, qui habet, metropolitanum, dissidente Synodo provinciali, alterius provinciæ Episcopos debere convocare, *qui controversiam tollant, & quod cum provinciæ Episcopis probatum fuerit, confirmet* (*d*). Et secundum Canones Sardicenses, ubi judicium contra Episcopum in Synodo latum renovandum est, finitimæ provinciæ Episcopi evocantur (*e*). Plures quoque metropolitani ex consensu Concilia sua provincialia conjunxerunt, ut unum inde facerent, junctisque suffragiis Canones ederent, qualia Concilium Avenionense habitum anno DCCCXXXVII. & Concilium Vaurense anno DCCCLXVIII. videntur fuisse.

Synodus provinciæ bis, aut semel in anno celebratur.

§. VI. Ex veteris disciplinæ regulis Synodum provincialem semel & iterum quotannis in singulis provinciis celebrari oportebat, quamvis de tempore celebrationis non una fuerit Ecclesiarum doctrina. Et quidem secundum Patres Nicænos prima Synodus habenda erat ante quadragesimam, ut omnibus animi sordibus sublatis purum

(*a*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 1. cap. 7. n. 3.
(*b*) August ep. CXVII.
(*c*) Conc. Sardic. Can. III.
(*d*) Conc. Antioch. Can. XIV.
(*e*) Conc. Sardic. Can. VII. apud Dionys Exiguum.
(*f*) Conc. Nicæn. Can. V.

rum munus Deo offerretur, altera per autumnum (*f*). Sed Canones sic dicti apostolici & Antiocheni primum conventum agi jubent quarta hebdomada Pentecostes, hoc est quarta hebdomada post festum Paschæ, (nomine enim *Pentecostes* apud veteres veniebant quinquaginta dies, qui à Pascha ad festum Pentecostes intercedunt) alterum mense Octobri, seu autumni tempore (*a*). Sed Patres Chalcedonenses statuerunt quidem bis in anno celebrari Synodum provincialem secundum sanctorum Patrum Canones (*b*), sed nihil de tempore celebrationis addiderunt, atque adeo varietatem illam temporis probasse videntur, ita nimirum ut pro varia locorum ratione liceret metropolitis, vel ante quadragesimam, vel tempore Pentecostes conventum agitare. Deinceps Justinianus edixit, ut saltem quotannis in quavis provincia Synodi haberentur (*c*): quam disciplinam etiam Gregorius M., Synodus Trullana & Nicæna II. & Innocentii III. in Concilio generali amplexi sunt (*d*). Cura demum etiam fuit Patribus Tridentinis de Synodis provincialibus edito Canone, quo provinciæ Episcopi saltem tertio quoque anno convenire jubentur (*e*).

Synodi provinciales fere desuetæ.

§. VII. Verum enimvero nec in oriente, nec in occidente stetit disciplina, quæ bis, aut saltem semel in anno Synodum provincialem haberi jubebat. In oriente postquam invaluerunt Concilia patriarchalia, quæ à Patriarcha & metropolitis quotannis habebantur, necessario Synodi provinciales impediri debuerunt. Synodus quoque octava generalis tacite concessit libertatem abstinendi à Conciliorum provincialium celebratione edito Canone, ut si utraque Concilia haberi non possint, metropolitani patriarchalia præferant, in quibus causæ totius patriarchatus judicentur (*f*). Receptæ etiam sunt appellationes à judiciis Synodi provincialis contra Presbyteros ad Synodum patriarchalem, quæ disciplina ingentem perniciem Synodis provincialibus creavit. Ita paulatim per orientem Synodi illæ celebrari desierunt, earumque ætate Zonaræ magnus erat contemptus. At in occidente diutius celebratæ sunt, earumque potestas integra usque ad nonum sæculum stetit; nec enim in occidente statis temporibus diœcesanæ Synodi habebantur. Inde ubi à sententiis Synodorum provincialium ad Sedem apostolicam receptæ sunt appellationes, Episcopi omnem earum celebrandarum curam abjecerunt, *quæ nihil aliud illis adferebat*, inquit Petrus de Marca

(*a*) Can. apost. XXXVIII., Conc. Antioch. XX.
(*b*) Conc. Chalced. Can. XIX.
(*c*) Novell. CXXXVII. cap. 4.
(*d*) Gregor. M. lib. 7. ep. CXII., Conc. Trullan. Can. VIII., Conc. VII. Can. VI. cap. 25. ext. de Accus.
(*e*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 2.
(*f*) Conc. VII. Can. XVII.

ca (*a*), *quam sumtus & dedecus*. Et quamvis Concilium Lateranense sub Innocentio III. & longo post tempore Tridentinum celebrationem Synodorum provincialium sustinere curarint; tamen Canones isti effectu caruerunt, quando synodalia judicia suprema esse non permittebantur, & causæ majores solius Pontificis Romani cognitioni cesserant.

Quæ tractanda in Synodo provinciali.

§. VIII. Synodus provincialis supremum provinciæ auditorium in veteri disciplina constituebat, in quo causæ contra Episcopos & omnia negotia majoris momenti, quæ in provincia emergebant, tractabantur, sive ad disciplinam, sive ad fidem pertinerent. Nicæni Patres in conventu provinciali expendendas voluerunt eorum querelas, quos Episcopi extra communionem projecissent (*b*). Et Patres Antiocheni Synodum provinciæ celebrandam ajunt *propter usus ecclesiasticos, & pro dirimendis controversiis* (*c*). Quæ omnia unico verbo Synodus Chalcedonensis expressit *τὰ ἀνακύπτοντα quæ emerserint* (*d*), ut vertit Dionysius Exiguus, idest negotia, quæ incidunt. Clarius Justinianus in Synodis provincialibus tractari docet de fide & canonicis quæstionibus, de administratione rerum ecclesiasticarum; item de Episcopis, Presbyteris, Diaconis & cæteris Clericis, de Abbatibus & Monachis, de accusata vita, & de aliarum rerum emendatione (*e*). Itaque fidei quæstiones, disciplinæ emendatio, judicia contra Episcopos, eorum translationes, cessiones, novarum cathedrarum erectiones, aut antiquarum divisiones, coadjutorum episcopalium constitutio, & cætera omnia majoris momenti negotia, quæ in provincia inciderent, in Concilio provinciali tractabantur. Hæc origine sua erat Synodi provincialis potestas, at per antiquos Canones fidei causæ & quæ ad plures provincias spectabant, ad Synodos diœcesanas delatæ sunt (*f*); & in nova disciplina causæ majores solius Pontificis judicio reservantur. Hinc multum decrevit Synodi provincialis potestas, & ferme circa disciplinæ emendationem & minuta Episcoporum crimina versatur.

Synodus provincialis pro jure suo Canones condit.

§. IX. Tanta autem potestate Synodus provincialis instituta pro jure suo Canones condit, quibus ecclesiastica negotia dirigantur, & disciplina instauretur, modo Canonibus generalium Conciliorum non adversentur; auctoritas enim Canonum condendorum pendet ab Eccle-

(*a*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 15. n. 3.
(*b*) Conc. Nicæn. Can. V.
(*c*) Conc. Antioch Can. XX.
(*d*) Conc. Chalced. Can. XIX.
(*e*) Novell. CXXXVII. cap. 4.
(*f*) Conc. Tolet. IV. Can. III.

clesiæ regimine, quod Episcopis Christus demandavit. Hinc in antiquis monumentis passim prostant Canones, quos episcopales & provinciales Synodi condiderunt (*a*). Tantum Concilia provincialia in causis dubiæ fidei & disciplinæ Sedem apostolicam consulebant, idque ante vel post conciliarem definitionem, prout Episcopis visum esset. Et profecto errat Gratianus, dum docet, integrum esse Conciliis episcopalibus causas judicare, & criminibus debitas pœnas irrogare, non tamen novos Canones condere, *sunt invalida ad definiendum & constituendum*, ut ipse loquitur (*b*). Itaque auctor glossæ eum aperte redarguit, qui ad Gratiani locum ita scribit: *Illud non est verum, quia Episcopi bene condere possunt Canones episcopales, & Archiepiscopus provinciales.* Videtur in hunc errorem Gratianus incidisse mala accepta Symmachi Pontificis, seu potius Enodii Ticinensis mutila sententia, qua asseritur, majoris momenti negotia, quæ ad collationem occurrerint, Sedis apostolicæ arbitrio fuisse reservata (*c*). Nimirum bonus Monachus inde regulam fecit generalem, non posse Synodos episcopales Canones condere. Sed Ticinensis causas tantum Episcoporum, (provocat ad Canones Sardicenses) non generaliter causas omnes majoris momenti intelligit, idque ex forma per Synodum Sardicensem præscripta.

Et sine auctoritate Pontificis recte celebrantur.

§. X. Jam vero ut Concilia provincialia rata & legitima sint, sufficit metropolitani indictio & auctoritas, qua *τὸ κυρὸς firmitas* rebus gestis tribuatur; nec ex antiquis regulis ad ea celebranda jussu aut assensu Pontificis opus erat. Et quî quæso secundum Canones spiritu Dei conditos quotannis semel & iterum Episcopi provinciæ poterant convenire, si Pontificis assensus præcedere debuisset (*d*)? At ubi in scenam prodierunt falsæ decretales, auctoritas metropolitanorum frangi cœpit, nova proposita doctrina, non esse rata Concilia sine Pontificis auctoritate celebrata. Sane sub Julii Papæ nomine docet falsus Isidorus, secundum Canones *sine Pontificis auctoritate Concilia fieri non debere* (*e*): quod dogma etiam sub Marcelli Pontificis nomine proposuit (*f*), ut tanta novitas pluribus suffulta testibus prodiret. Generalis erat doctrina ista, utpote quæ omnes Synodos adprehenderet; & tamen ex veteribus regulis tantum in generalibus Conciliis Pontificis auctoritas erat necessaria. Una cum falsis decretalibus doctrina de Synodis sine auctoritate Pontificis non habendis in usum versa est, præsertim post Gratianum, à cujus tempore vix ulla Concilia provincialia, aut diœcesana habi-

(*a*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. c. 15. n. 12.
(*b*) Grat. initio D. 18.
(*c*) Can. VI. D. 17.
(*d*) Conf. Fleuryus disc. IV. in Hist. eccles. n. 2.
(*e*) Can. II. D. 17.
(*f*) Can. I. eod.

bita sunt, sine Romani Pontificis auctoritate, cujus legati in Occidentis Ecclesias frequentes missi & Conciliis præsidebant, & negotia ferme omnia pro arbitrio procurabant (*a*). Sed tandem decreto Synodi Tridentinæ antiqua libertas restituta est; nulla enim injecta mentione asensus Sedis apostolicæ datum fuit metropolitis, Synodos provinciales singulis trienniis pleno jure celebrare (*b*).

Origo doctrinæ de Synodis sine Pontifice non habendis.

§. XI. Illud vero nunc inspicere pulchrum est, unde falsus Isidorus generalem doctrinam de Synodis sine auctoritate Pontificis non habendis hauserit, & sub Julii Pontificis nomine proposuerit. Vix dubitandi locus esse potest, novitatem istam ex verbis Socratis (*c*) profluxisse, qui memorat, antiquum quendam Canonem tanquam ab Julio Papa in causa Athanasii Patribus Antiochenis objectum, quo statuebatur μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τὸ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησιας κανονιζειν, *non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*, ut habet vetus versio in historia tripartita. Extant genuinæ litteræ Julii ad Antiochenos (*d*), unde Socrates relationem istam hausit, sed apud Julium Canon, prout à Socrate descriptus est, desideratur, quod Valesius observat (*e*). Et profecto Canon ab Julio objectus Antiochenis spectabat judicia Episcoporum sedium primarum, de quibus jus fuisse affirmat, ut relatione ad Sedem apostolicam finirentur. *An ignari estis*, inquit Julius in causa Athanasii Episcopi Alexandrini & Marcelli Ancyrani, quos orientis Concilia inconsulto Pontifice damnaverant, *hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut inde postea quod justum est, definiri possit?* Quin si vera Petrus de Marca observat, nec ab Julio productus Canon extabat; ait enim nomine τοῦ ἔθου Julium intellexisse factum Clericorum Alexandrinorum, qui suspicantes, Dionysium Episcopum suum à recta fide aberrare, ad summum Pontificem litteras dederunt (*f*). Cæterum ex latina verborum Socratis versione primum Pelagius II. Papa generaliter docuit, Concilia non posse celebrari sine auctoritate Pontificis (*g*); deinceps vero ex eodem fonte falsus Isidorus doctrinam hausit suam, bellamque sibi oblatam occasionem vidit, novam sub Julii Pontificis nomine consarcinandi decretalem.

Synodica de fide decreta ad Pontificem missa.

§. XII. Videamus modo, an Concilia provincialia, quæ pro jure suo Canones condunt, & inscio Pontifice etiam in nova disciplina celebrantur, saltem ante publicationem confirmatione Pontificis indigeant. Solemne fuit in veteri disciplina, decreta fidei in Synodis provinciarum condita ad summum Pontificem transmitti, ut ejus auctoritate firmarentur (*a*). Ita Synodi Carthaginensis & Milevitana anno CCCCXVI. celebratæ damnatis Pelagii & Cœlestii erroribus ad Innocentium Pontificem retulerunt, ut synodicis decretis etiam Apostolicæ Sedis adhiberetur auctoritas (*b*). Et ut alia multa mittam Cæsarius Arelatensis Synodum Arausicanam II. quæ Pelagianos damnavit, à Felice Papa confirmari petiit, quo præmortuo Bonifacius II. petitam confirmationem impertivit (*c*). Confirmatione autem pontificia Conciliorum particularium de fide decretis robur Sedis Apostolicæ accedebat, quo in summum auctoritatis culmen attollebantur. Sed in rebus disciplinæ mos non fuit in Conciliis provinciarum editos Canones ad Pontificem transmitti, etsi ubi illa dubia erat, ante synodicum decretum consultationes ad Sedem Apostolicam, præsertim ab Ecclesiis Occidentis, mitterentur. Disciplina pro locorum & temporum varietate poterat esse multiplex & diversa, atque adeo sola Conciliorum auctoritate plenum robur sortiebatur.

Synodus provincialis non eget Pontificis confirmatione.

§. XIII. Moribus præsentibus Synodi provinciales ferme de solius disciplinæ articulis Canones condunt, & inde si res ad veteris disciplinæ formam exigatur, nulla videtur opus esse Pontificis confirmatione. Et reapse suæ libertati Patres Tridentini Concilia provincialia restituerunt, dum singulis trienniis earum celebrationem nullis circumscriptam limitibus addixerunt (*d*). At hanc libertatem Sixtus V. quodammodo infregit, qui acta Synodorum ante publicationem ad congregationem Cardinalium, qui præsunt Concilii Tridentini interpretationi, mitti præcepit, non quidem ad confirmationem, sed ad emendationem (*e*), ut nempe corrigerentur, si opus esset correctione. Fortasse timebat Romana curia, ne in Conciliis provincialibus aliquid receptis novitatibus adversum statueretur. Ita per Sixti constitutionem *vis aperta* Synodo Tridentinæ illata est, quod Petrus de Marca observat (*f*). Ergo in Ecclesiis Occidentis invaluit, ut Concilia provincialia Romam ante publicationem mitterentur, inde vero ut plurimum emendata redirent, quamvis metropolitæ in publicatione aliquando nullam adjectarum emenda-

(*a*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 30.
(*b*) Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 2.
(*c*) Socrat. libr. 2. cap. 17.
(*d*) Ap. Athanas. Apol. II.
(*e*) Vales. in cit. Socrat. locum.
(*f*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 7. cap. 4. n. 8.
(*g*) Can. V. D. 17.

(*a*) Conf. Thomass. diss. IX. in Concilia.
(*b*) Epist. Conc. Carthag. ap. Harduin. tom. 1. Collect. pag. 1214., & epist. Concil. Milevit. eod. pag. 1221.
(*c*) Auctor. vit. S. Cæsarii lib. 1. sub fin. apud Mabillon. in sæc. I. Benedict.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de Reform. c. 2.
(*e*) Sixtus V. const. 117. t. 4. Bullar. part. 4.
(*f*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. c. 14. n. 12.

dationum rationem habuerint (*a*). Multi quoque metropolitani ulterius progressi sunt, & suas Synodos Romam à Pontifice confirmandas transmiserunt, quod productis monumentis Benedictus XIV. observat (*b*). Quæ quidem confirmatio robur addit Synodis, at eas ultra fines provinciæ non extendit, nisi Pontifex aliud expresserit (*c*).

Qui obligantur decretis Synodi provincialis.

§. XIV. Synodi provincialis constitutiones de more publicatæ per universam provinciam obligant; totius enim provinciæ administratio metropolitæ ejusque Synodo competit. Ipsi exempti ab Episcoporum jurisdictione in rebus non exemptis & in omnibus casibus, quibus vel jure communi, vel Synodi Tridentinæ decretis, vel speciali Sedis Apostolicæ constitutione subsunt Episcopis, etiam statutis Synodi provincialis obedire tenentur (*d*). Cæterum non defuerunt postremis temporibus regulares, qui suorum privilegiorum obtentu etiam in rebus non exemptis, aut universum provinciæ regimen spectantibus, decreta Synodi provincialis declinare conati sunt. Et fortasse ad tantam audaciam comprimendam Episcopis placuit, Synodorum decreta Pontificis auctoritate confirmari, ut ita omne effugium regularibus eriperetur. Publicari autem oportebat decreta Synodi provincialis in Synodis episcopalibus (*e*), quas, non secus ac Concilia provincialia, singulis annis oportebat celebrari. Verum publicatio facienda non est, nisi præviis regio assensu & confirmatione.

CAPUT XII.

De Conciliis diœcesanis.

Quæ sint Synodi diœcesanæ.

§. I. Synodos provinciales excipiunt diœcesanæ, quæ ex unius diœcesis, seu plurium provinciarum inter se adnexarum Episcopis habentur; diœcesis enim in hac causa est non unius episcopatus territorium, sed plurium provinciarum adunatio: quo sensu in codice & novellis Justiniani & in Canonibus Græcis vox diœcesis frequens occurrit. Sunt vero hujusmodi Synodi aliæ patriarchales, aliæ in specie diœcesanæ, prout nempe diœceses habebant, aut non habebant Patriarchas. Patriarchales erant in Oriente, cujus diœcesibus præerant Patriarchæ: contra in Occidente diœcesanæ erant Synodi Gallicanæ & Hispanienses, & fortasse etiam Carthaginenses; nam olim diœceses Occidentis, excepta Romana præfectura, sic proprie dictos Patriarchas habuisse non videntur. Synodi diœcesanæ in antiquis monumentis dicuntur etiam μείζονες *majores* (*a*), & Concilia *universalia* (*b*), *plenaria* (*c*), *generalia* (*d*), totius nimirum diœcesis: quin sæpe additur epitheton, quo amplitudo illa ad diœcesim restringitur. Ita Augustinus secundam Synodum Africanam *plenariam totius Africæ* edixit (*e*). Dicuntur etiam *regionales*, & post Concilium Constantiense *nationales*, quasi ex unius nationis Episcopis celebratæ. Equidem ubi diœceses imperii Romani aliam formam induerunt, & ex illius ruinis varia regna exorta sunt, Concilia diœcesana etiam aliam formam induerunt, & ab unius aut plurium regnorum, seu nationis Episcopis cœperunt haberi.

(*a*) Conf. Espen. part. 1. tit. 20. c. 3.
(*b*) Bened. XIV. de Syn. diœc. lib. 13. c. 3. n. 4.
(*c*) Conf. Fagn. in c. *Canonum statuta* ext. de Constit. n. 13.
(*d*) Conf. Fagnan. ad c. *Et si membra* ext. De his quæ fiunt à Præl. sine cons. capit.
(*e*) Cap. 25. de Accusation.

Earum origo ex divisione imperii in diœceses.

§. II. Institutio Synodorum diœcesanarum à partitione imperii Romani in diœceses per Constantinum facta videtur repetenda, saltem eo præjudicio deinceps illæ invaluerunt. Nimirum administratio civilis in unaquaque diœcesi vicario præfecti prætorio, aut proconsuli, aut alteri summo magistratui commissa est, qui jus dicebat de more veteri in publicis provinciarum conventibus, *agitando conventus juridicos*. Itaque ecclesiastica politia civilem imitante sensim provinciæ ecclesiasticæ unius diœcesis strictiore nexu inter se adstringi cœperunt. Hinc Imperatores Valens, Gratianus & Valentinianus anno CCCLXXVI. concesserunt, ut de more causarum civilium causæ ecclesiasticæ *locis suis & à suæ diœceseos Synodis audiantur* (*f*). Probant his verbis Imperatores non tantum episcopalem & Synodi provincialis audientiam in causis ecclesiasticis, verum etiam totius diœcesis; permittuntque jure ordinario diœcesis conventus agitari, quum antea extraordinario Principis imperio ejusmodi conventus agebantur. Sanctio ista ad Occidentem spectavit, præcipue vero ad diœcesim Galliæ, quod constat ex subscriptione, quæ Treverim exhibet. Verum Occidentis Episcopi minime curarunt concessam facultatem in meliorem formam redigere, & exarchum totius diœcesis constituere, qui indicendæ Synodi eique præsidendi jus haberet, excepta diœcesi Africana, quæ in ordinarium Concilii corpus præside Episcopo Carthaginensi coaluit.

For-

(*a*) Conc. Antioch. Can. XII.
(*b*) Can. XIX. & LXXVII. C. Afric.
(*c*) Can. XCIV. C. Afric.
(*d*) Conc. Tolet. IV. Can. III.
(*e*) August. ep. CCXV. ad Valentin.
(*f*) L. 23. C. Th. de Episc. & Cleric.

Forma Synodorum diœcesanarum in Oriente.

§. III. Sed in Ecclesia Orientali diœcesanæ Synodi in solemnem & ordinariam formam in Concilio Constantinopolitano redactæ sunt; non quidem (ut opinor) Gratiani legis præjudicio, sed quia Episcopi Orientales optimum judicarunt, civilem politiam in causis ecclesiasticis exprimere. Et quidem Patres Constantinopolitani integram Orientis Ecclesiam, quæ quinque civilibus diœcesibus continebatur, in quinque etiam diœceses ecclesiasticas partiti sunt, & uniuscujusque diœceseos Synodo auctoritatem tribuerunt regendi & administrandi omnia negotia ecclesiastica provinciarum, quæ ea diœcesi continebantur, sed sub exarchi diœcesis, seu Patriarchæ gubernatione (*a*). Synodus novæ politiæ confirmationem à Theodosio petiit, ut constat ex epistola synodica, at non videtur impetrasse, quod Imperator jura imperii in indicendis Synodis diœcesanis noluit abrogare. Deinceps vero Theodosius junior innovationi consentit, ordinarium diœcesis Illyrici Orientalis Concilium haberi permittens (*b*). Hinc in actis Concilii Ephesini memoratur *sancta Synodus diœceseos Orientalis, & Synodus ex diœcesi Ægyptiaca Alexandriæ congregata.* Et in Concilio Chalcedonensi veluti jam receptæ hujusmodi Synodi exhibentur, dum permittunt Patres, ut metropolitæ pro arbitrio conquerentium vel apud proprium exarchum, vel apud thronum Constantinopolitanum deferantur & accusentur (*c*).

Doctrina Gothofredi de antiquitate Synodi diœcesanæ.

§. IV. Doctrina hactenus proposita de Synodorum diœcesanarum origine Petro de Marca debetur (*d*), nisi quod iste statuat, Synodum Constantinopolitanam præjudicio legis Gratiani Ecclesiam Orientalem in quinque diœceses partitam esse; ego vero contra sentiam, nullam Patres Constantinopolitanos illius legis rationem habuisse, sed potius ex civilis politiæ forma Ecclesias Orientis ordinasse. At Jac. Gothofredus (*e*) tenet, etiam ante Gratianum jure ordinario Synodos diœcesanas habitas fuisse, *ut docet*, inquit, *jam triginta quinque ante hanc legem annis Canon XII. Antiochenus anno D.* 341. *& ostendunt tot Synodi diœcesanæ ante hanc legem habitæ.* Verum unde habet vir summus, Synodos diœcesanas ante Gratianum habitas jure ordinario, nec præcedente rescripto Principis coaluisse? Gravius est argumentum ex Canone Antiocheno desumptum, eo enim permittitur Episcopis damnatis in Synodo provinciali, ut ad majus Episcoporum Concilium provocent; in quo rursus de accusatione judicetur. Fateor equidem, majorem istam Synodum ex pluribus provinciis coaluisse; at certe non jure ordinario; ex Canonibus enim Antiochenis judicia conformibus Episcoporum provinciæ suffragiis lata omnino suprema erant, nec in majori Synodo ex receptis regulis rescindebantur (*a*). Hinc ne Canones Antiocheni se mutuo destruant, Canon XII. accipiendus est de extraordinariis Synodis, quas Principes pro jure suo ad judicia ecclesiastica iterum expendenda concedebant, quod pluribus monumentis constat (*b*). Ita Canon tantum damnat Clericos in provinciæ Concilio damnatos, si preces Imperatori offerant, ut ejus auctoritate restituantur, non item si Synodum postulent ubi eorum causa retractetur.

(*a*) Conc. Constantinop. Can. II.
(*b*) L. 45. C. Theod. eod.
(*c*) Conc. Chalced Can. IX. & XVII.
(*d*) Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. c. 16.
(*e*) Gothof. ad cit. l. 23.

Qui conveniunt in Synodum diœcesis.

§. V. Synodus diœcesana ex metropolitis & Episcopis diœcesis coalescit, eique præest Patriarcha, si diœcesis præter metropolitas Patriarcham seu exarchum habeat. Conveniebant autem metropolitæ in Oriente & Romano patriarchatu jure ordinationis, quam à Patriarcha accipiebant (*c*); in veteri enim disciplina manuum impositio ordinatos ordinatori ejusque Synodo addicebat. Verum in Galliæ & Hispaniæ diœcesibus, ubi nulli erant Patriarchæ, qui metropolitas consecrarent, non jure ordinationis metropolitæ conveniebant, sed potius jussu Principis, qui Concilium indicebat: in Africa vero ad Synodum primates cogebantur confœderationis instituto; primates enim Africani ab exarcho Carthaginensi non ordinabantur, nec jussu Principis invitabantur ad Concilium. Cæterum non omnes metropolitæ & Episcopi ad Synodum conveniebant, sed qui nullo impedimento detinebantur. Quin in Africa ubi singulis annis plenariam Synodum haberi placuerat, ne Episcopi toties & tandiu suis Ecclesiis abesse cogerentur, statutum est, ut omnes provinciæ, quæ primas sedes habent, ad generalem Synodum de Conciliis suis binos, aut plures Episcopos mittant (*d*). Quod si res magni momenti tractanda esset, præter legatos provinciarum maxima pars Episcoporum conveniebat, ut videre est in Synodo sexta Carthaginensi, in qua ad tractandam causam de appellationibus ad Sedem Apostolicam septemdecim supra ducentos Episcopi adfuerunt.

Synodi diœcesis à quo indictæ.

§. VI. Jam vero Concilia patriarchalia in Oriente ubi in ordinariam & assiduam jurisdictionem abierunt, à Patriarcha indicebantur, nec necessarius erat specialis Principis assensus. Similiter summi Pontificis erat indicere Synodum Italiæ, quæ à V. sæculo

(*a*) Conc. Antioch. Can. XV.
(*b*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. l. 7. c. 2.
(*c*) Novell. CXXXVII. Justin c. 4. Conf. superius dicta c. 12. §. 4.
(*d*) Can. XVIII. C. Afric.

lo ex duabus diœcesibus, præfectura nempe Romana & Italica diœcesi stricte sic dicta, cœpit coalescere: quod Theodorico Regi, qui ad discutiendam Symmachi Pontificis causam Concilium indixerat, Episcopi provinciarum Liguriæ, Æmiliæ & Venetiarum suggesserunt: *ipsum* Symmachum, *qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare* (*a*). Erat nimirum ea ætate summus Pontifex in illis duabus diœcesibus veri nominis Patriarcha. Item Synodum generalem Africæ primas Carthaginensis indicebat (*b*), quod jus non ordinatione metropolitanorum, sed potius consensu Episcoporum illi quæsitum est. Sed in Gallia & Hispania Principes ipsi Concilia generalia indicebant (*c*); non enim diœceses illæ habebant Patriarchas, nec placuit tantum jus alicui metropolitanorum tribuere. Et quamvis Concilium Arelatense II. statuerit, ut *ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congregetur* (*d*); tamen Canon iste veluti ab ambitione Hilarii Arelatensis profectus usum non habuit: quin aperte Leo M. Hilario interdixit conventus indicere synodales (*e*). Nec vicariatus apostolicus, quo etiam indictio Conciliorum diœcesanorum continebatur, Episcopis Arelatensibus communicatus, eos potestate indicendi Synodos generales auxit. *Certe*, inquit Petrus de Marca (*f*), *nullum regni generale Concilium reperitur ab iis* (Episcopis Arelatensibus) *convocatum fuisse, prohibentibus nimirum Regibus & reliquis metropolitanis.*

In Occidente sæpe habitæ auctore Pontifice.

§. VII. Quamvis autem in Gallia & Hispania generales Synodi jussu Regis haberentur, non tamen vetabatur summus Pontifex præcipere, ut Concilium diœcesanum haberetur, si Ecclesiæ necessitas postularet. Ita Leo M. in Hispania generale Concilium haberi jussit adversus hæreticos Priscillianistas, cujus promovendi sollicitudinem Turibio Asturicensi Episcopo demandavit (*g*). Et Gregorius M. cupiens abolere nundinationes ordinationum, quæ in regnis Burgundiæ & Austriæ invaluerant adversus Canones, Synodum haberi in Gallia jussit litteris ad aliquot metropolitanos datis (*h*). *Fraternitatem vestram auctore Deo volumus Synodum congregare.* Sed sancta Pontificum Concilia de habendis in Gallia & Hispania Synodis effectum habere non poterant, nisi Principes etiam assentirentur, & conven-

(*a*) Conc. Roman. ann. DI. sub Symmacho ap. Justel. biblioth. jur. canon. veter. n. 264.
(*b*) Can. XCV. C. Afric.
(*c*) Conf. Petr. de Marca lib. 6. de C. S. & I. c. 17. & seqq., & Thomass. de Antiq. & nova eccles. discipl. part. 2. lib. 3. c. 48.
(*d*) Conc. Arelat. II. Can. XVIII.
(*e*) Leo M. ep. X. ad Episc. Viennens. ed. Q.
(*f*) Petr. de Marca loc. cit. cap. 19. n. 8.
(*g*) Leo M. ep. XV. ad Turib. ed. Q.
(*h*) Greg. M. lib. 7. ep. X.

ventum indicerent, quod ex Gregorio M. constat, qui in Galliis Synodum haberi exoptans, etiam assensum Regis & indictionem obtinere studuit (*a*). Et profecto præcepta Pontificum de habendis Conciliis regiam auctoritatem non excludebant; quin potius eidem adjungebantur, ut utraque potestate in eundem finem conspirante, eo melius negotia ecclesiastica procederent.

Quoties Synodus diœcesis habenda.

§. VIII. Quousque majores plurium provinciarum Synodi fuerunt extraordinariæ, arbitrio Principum, prout causæ gravitas exigebat, indicebantur; at ubi evaserunt ordinariæ statis temporibus haberi cœperunt. In Oriente ex Justiniani constitutione quolibet anno celebrari debebant, quam disciplinam inde Synodus octava generalis confirmavit (*b*). Similiter Synodum Africæ generalem quotannis celebrandam Concilium III. Carthaginense *secundum statuta Nicæna* statuit (*c*): qua in re Africani Patres potius mentem Canonis Nicæni de necessitate Synodorum, quam ipsam Canonis sententiam expresserunt: Canone enim Nicæno tantum Synodum provincialem bis in anno habendam edicitur, altumque in eo est de Conciliis diœcesanis silentium. Verum quoniam annua celebratione Episcopi fatigarentur, inde placuit Patribus Africanis, ut tum solum generale Concilium Africæ cogeretur, si diœcesis totius necessitas postularet (*d*). Canones quoque & Pontifices Concilia generalia in Gallia & Hispania semel in anno celebrari jusserunt (*e*): sed regula ista in usum deducta non videtur, ut nec decretum Synodi Matisconensis, quo singulis trienniis celebratio Synodorum Galliæ præcipitur. Ita generalia Galliæ & Hispaniæ Concilia, quemadmodum Africana, pro necessitate Ecclesiæ, non stato tempore ferme celebrata sunt.

Quæ in Synodo diœcesana tractanda.

§. IX. Quod vero spectat ad negotia, quæ in Conciliis diœcesanis tractari solebant, ea in primis fuerunt causæ communes. Itaque Patres Africani tum Concilium generale celebrandum statuerunt, *quoties exegerit causa communis, idest totius Africæ* (*f*). Idem habent capitularia Regum Francorum: *causæ quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur.* Causæ autem communes non erant solæ dogmaticæ, verum etiam quæ totius diœcesis aut regni disciplinam respiciebant. *Si causa fidei est*, inquiunt Patres Toletani (*g*), *aut alia* Ec-

(*a*) Greg. M. loc. cit. ep. CXIII. & seq.
(*b*) Novell. CXXXVII. cap. 4. Conc. VIII. Can. XVII.
(*c*) Can. XVIII. C. Afric.
(*d*) Can. XCV. eod.
(*e*) Conc. Agath. Can. LXXI., Hilarius Papa ep. VIII. ad Episc. Galliæ.
(*f*) Can. XCV. C. Afric.
(*g*) Conc. Tolet. IV. Can. III.

Ecclesiæ generalis, totius Hispaniæ & Galliæ Synodus convocetur. Et profecto controversia de appellationibus inter Romanos Pontifices & Episcopos Africanos occasione Apiarii Presbyteri exorta in Conciliis generalibus Africæ disputata est. Ea vero ratione tantum causæ communes ad Synodos diœcesanas spectabant, quia singulis annis etiam Concilia provincialia celebrari oportebat: atque adeo ad Synodum generalem causæ singularum provinciarum non erant pertrahendæ. Synodi quoque diœcesanæ Canones, quibus ordinabatur disciplina, condebant, & definitiva supremaque sententia terminabant causas omnes ecclesiasticas, quæ in Synodis provincialibus difficiles visæ essent. Porro in Oriente & Africa in causis Episcoporum ad Synodum patriarchalem, aut Africæ generalem à sententiis Concilii provincialis appellabatur (*a*).

Synodus patriarchalis Romani Pontificis.

§. X. Jam Romanus Pontifex, non secus ac reliqui Orientales Patriarchæ, suam habebat ordinariam patriarchalem Synodum, quæ ex Italiæ metropolitis & Episcopis coalescebat. Et quidem longo annorum cursu Synodus Romani Pontificis Episcopos solius Romanæ præfecturæ, quæ in decem provincias extendebatur, complexa est. Quod vero provinciæ hujus diœcesis præter Romanum Pontificem alios non haberent metropolitas (*b*), Synodus Pontificis potius metropolitica, quam patriarchalia fuisse videtur, eoque conveniebant Episcopi jure ordinationis, quam à Pontifice accipiebant (*c*). Diœcesis *Italica* stricte sic dicta, cujus metropolis erat Mediolanum, ad Synodum Romanam non pertinebat, (nec enim Mediolanenses Antistites à Pontifice consecrabantur) sed peculiarem Synodum videtur habuisse. At V. exeunte sæculo Romanæ præfecturæ & Italiæ Synodi in unam abierunt, & Synodus Romani Pontificis patriarchalis evasit. Sane in Concilio Romano sub Symmacho anno 1011. etiam Mediolanensis & Ravennas Antistites subscripserunt (*d*). Et Episcopi provinciarum Liguriæ, Æmiliæ & Venetiarum Theodoricum Regem, qui generalem Italiæ Synodum ad judicandam Symmachi Pontificis causam indixerat, convenerunt, eique significarunt, ipsum Symmachum, licet reus esset, Synodum indicere debuisse: *ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare* (*e*). Nimirum hac tempestate jam receptum erat, ut Mediolanensis & Aquilejensis Antistites ex consensu Pontificis ordinarentur (*f*), quod probat eos ad Romanum Synodum pertinuisse.

Per

(*a*) Novell. CXXIII. cap. 22. & novell. CXXXVII. Imper. Just., ep. Conc. Afric. ad Cœlest. in C. Afric. Can. CXXXVIII.
(*b*) Conf. dicta part. 1. c. 4. §. 10.
(*c*) Leo M. ep. XVI. cap. 1. & 7. univers. episc. per Siciliam const. ed. Q.
(*d*) Conc. Roman. Symmachi Papæ ap. Justel. in Biblioth. jur. can. veter. p. 263.
(*e*) Conc. Roman. an. DI. apud cit. Justel. p. 264.
(*f*) Can. XXXIII. c. 24. q. 1., Greg. M. lib. 2. ep. XXXI.

Per totum Occidentem non extendebatur.

§. XI. Cæteræ Occidentis generales Synodi comiter quidem Romanum Pontificem venerabantur; at ad ejus ordinarium Concilium non pertinebant; metropolitæ enim Occidentis non à Romano Pontifice, sed à suis provinciarum Episcopis solebant consecrari. Primus Nicolaus I. Galliæ & Germaniæ Episcopos ad Synodum Romanam evocavit (*a*), ut ea ratione eandem in Gallia & universo Occidente patriarchalis potestatis amplitudinem constitueret, qua Patriarchæ Orientis in sua quisque diœcesi potiebantur. Sed evocatio ista effectu caruit intercedente regia potestate, & Episcopis tantæ innovationi non consentientibus. Ergo Synodus VIII. generalis statuit, ut metropolitani, qui impositionem manuum aut pallium à Patriarcha acceperint, ad ejus Concilium accedere teneantur, nihil obstantibus mandatis Principum, quibus Episcopi ad Synodum accedere vetarentur (*b*). Hic Canon urgentibus Romanis legatis conditus videtur ad ampliandam Pontificis patriarchalem potestatem & ejus Synodum ordinariam, oppositusque est Gallicanis Episcopis, qui ne ad Concilia ordinaria Romani patriarchatus convenire cogerentur, excipiebant, se à Pontifice non accipere manuum impositionem, & impediri mandatis Principum, ne ad Synodos illas convenirent. Itaque Synodus, quod jure ordinationis non poterat obtineri, tribuit, pallio: quod tum Occidentis metropolitæ passim à Pontifice accipiebant, eoque accepto veluti Pontificis Vicarii censebantur (*c*): & præterea contra juris publicis principia statuit, nihil facienda Principum mandata, quibus Episcopi ad Synodum Patriarchæ convenire impedirentur. Sed Synodus ista in Gallia recepta non est, utpote quæ receptos ibi mores & regia jura petere videbatur, quod ex antiquis monumentis Petrus de Marca observat (*d*).

Plenarium Occidentis vel Orientis Concilium.

§. XII. Quamvis autem diœcesanæ Occidentis Synodi à se mutuo non penderent, nec ordinaria Pontificis Synodus per totum Occidentem extenderetur: tamen per consultationes in rebus fidei, & sæpe etiam disciplinæ, singulæ cum Romana Synodo connectebantur. Immo si res tanti erat, omnia Occidentis plenaria Concilia cum Romano coalescebant, missis ad Romanum legatis, qui decreta provinciarum referrent. Atque hæc erat plenaria Occidentis Synodus, quæ decretorum collatione in causis communibus coalescebat. Certe Hilarius Diaconus hujus Concilii mentionem facit, ubi ait,

Leo-

(*a*) Epist. XXVI. ad Ludovic. Germaniæ & Calvum Reges.
(*b*) Con. VIII. Can. XVII.
(*c*) Conf. dicta part. 1. cap 9. §. 4.
(*d*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 2. cap. 17. §. 3., & lib. 6. cap. 15. §. 2.

Leonem Pontificem *cum omni occidentali Concilio* reprobare omnia, quæ in Epheso contra Canones per tumultus & odia sæcularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt (*a*). Et Synodus, quæ sub Agathone Pontifice contra Monothelitas habita est, testatur, omnia illa Concilia, quæ per Occidentis & Septemtrionis provincias ad oceanum usque porrectas coguntur, ad Synodum Apostolicæ Sedis pertinere (*b*). Similiter Ecclesia Orientalis, saltem ætate Ambrosii, plenarium Concilium habuisse videtur; ait enim ille in Synodo Aquilejensi, *consuetudinem hujusmodi esse, ut in Oriente orientalium esse Concilium, intra Occidentem occidentalium.*

Synodi diœcesanæ celebrari desierunt.

§. XIII. Concilia diœcesana in Occidente summa auctoritate negotia ecclesiastica usque ad IX. sæculum administrarunt, inde sensim nullius usus evaserunt. Principio huic mutationi multum contulerunt novæ disciplinæ regulæ ope falsarum decretalium tandem in Ecclesiis Occidentis receptæ, Concilia etiam provinciarum haberi non posse sine Sedis Apostolicæ auctoritate; itemque ad Romanum Pontificem pertinere etiam ordinariam & episcopalem omnium Ecclesiarum sollicitudinem. Itaque Romani Pontifices à tempore Nicolai I. extra Italiam indicere cœperunt generales provinciarum Synodos neglecta Regum jussione; & ferme omnia regionum occidentalium Concilia præsidentibus Sedis Apostolicæ legatis haberi cœperunt, sive quod legati tantum ut illis præsiderent, mitterentur, sive quod ad explicandam per Ecclesias ordinariam & episcopalem Pontificis sollicitudinem magno numero missi in suæ legationis provinciis Concilia celebrarent (*c*). Præsidebant autem Synodis legati summa auctoritate, facileque iis erat, negotia ferme omnia provinciarum Sedis Apostolicæ judicio reservare; etenim unicum legati suffragium æquivalebat collectis totius Concilii suffragiis: atque ita sententiarum divisione introducta, negotium tanquam difficile ad Sedem Apostolicam devolvebatur (*d*). Sic deminuta, & tantum non deleta Episcoporum potestate, & frequentibus causarum ad Sedem Apostolicam devolutionibus Synodorum auctoritas vix aliqua erat, & Episcopi earum celebrationem negligebant. Præterea judicia à legatis lata in Synodis per appellationem Romam deferebantur, ubi interdum parte altera inaudita mittebantur in irritum: quod ferme nullius usus Synodos provinciarum reddebat, ut Ivo Carnotensis observavit (*e*): *Quid ultra valebunt celebranda Concilia, quorum per unius personæ delationem irrita fient, quantalibet auc-*

to-

(*a*) Hilar. Diac. ep. ad Pulcheriam part 1. Conc. Chalced. n. 24.
(*b*) Epist. Agath. & Synodi Roman. act. IV. Conc. VI.
(*c*) Conf. dicta part. 1. cap. 13. § 11. & seqq.
(*d*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 30. n. 4.
(*e*) Ivo Carnotens. ep. XCV.

toritate fulta judicia? Quin postquam appellationes à Conciliis provinciarum ad Sedem Apostolicam receptæ sunt, Pontifices ultra processerunt, sibique omnem de causis majoribus auctoritatem, quam nulli communicarent, vindicarunt: atque ita generalia Concilia provinciarum celebrari desierunt; quod in specie de Gallicanis Petrus de Marca observat (*a*).

CAPUT XIII.

De Conciliis generalibus.

Concilia generalia olim ex imperio Romano coacta.

§. I. Venio ad Concilia generalia, quæ à totius christiani orbis Episcopis celebrantur. Ea Augustinus Concilia *plenaria ex universo orbe christiano* (*b*), Græci vero dicunt οἰκουμενικας συνοδους, idest ἐκ τῆς οἰκουμένης, *ex terra, quæ habitatur*. Orbis autem christianus & οἰκουμένη apud veteres sæpe ipsum Romanum imperium designant. Certe πᾶσα ἡ οἰκουμένη *universus orbis* apud Lucam (*c*), & κοσμος *mundus* in Antonini Imperatoris rescripto (*d*) ipsum sunt Romanum imperium. Et ut alia multa mittam, quæ in hanc sententiam Suicerus (*e*) congessit, in Concilio sub Menna Justinus & Euphemia dicuntur δεσπόται τῆς ὅλης οἰκουμένης, *domini universi orbis* (*f*). Hinc œcumenica Concilia veteribus erant, quæ ex omnibus imperii Romani tam Orientis, quam Occidentis provinciis habebantur, quod Justellus aliique viri docti observant (*g*). Sane Gelasius Cyzicenus ait (*h*), Synodum Nicænam coactam fuisse ἐκ πασων των τοῦ Ρωμαιων κόσμου ἐπαρχιῶν, *ex omnibus orbis Romani provinciis*. Et Cedrenus œcumenica Concilia ita dicta scribit, quod ad ea οἱ κατὰ πᾶσαν τὴν Ρωμαίων πολιτείαν ἀρχιερεῖς, *qui essent in Romano imperio, Antistites*, convocarentur. Concinunt Innocentius Papa & Augustinus, qui œcumenicam Synodum fieri affirmant, si *Orientis & Occidentis* Sacerdotes congregentur (*i*), utique imperii Orientalis & Occidentalis: quo sensu voces istæ passim occurrunt. Qui erant in barbarico Episcopi, non facile poterant convenire, quamvis Nicæno Concilio Persidis Episcopus & Scythes adfuerint (*k*).

In-

(*a*) Petrus de Marca loc. cit. n. 12.
(*b*) August. lib. 2. de Bapt contra Donatist. cap. 3.
(*c*) Luc. cap. II. v. 10.
(*d*) L. 9. C. ad l. Rhodiam de Jactu.
(*e*) Suicer. v. οἰκουμένη.
(*f*) Conc. Constantinop. sub Menna act. V.
(*g*) Justell. not. in C. Eccles. Afric. Can. XVIII.
(*h*) Gelas. Cyzicen. lib 1. Act. Conc. Nicæni.
(*i*) Innocent. I. ap. Pallad. de Vita Chrysost. cap. 3. August. lib. 3. contra duas epist. Pelagian. cap. 12.
(*k*) Euseb. de Vit. Constant. lib. 3. cap. 6.

Inde ex solis Occidentis Episcopis coacta.

§. II. Verum enimvero labentibus annis amplitudo generalis Concilii ad angustiores fines redacta est, & ferme ex solius Occidentis Episcopis cœpit celebrari. Nimirum dissipato in varias partes, & veluti dissecto per Orientalium schisma Ecclesiæ corpore, quod consequens erat, interrupta est inter Orientis & Occidentis Ecclesias communio, & catholicus orbis Ecclesiæ Occidentis finibus censeri cœpit. Et quamvis deinceps in Synodis Lugdunensi II. & Florentina Græci cum Latinis in concordiam redierint; tamen concordia ista diu non stetit. Deinceps solido Græcorum imperio per Turcas occupato, etiam novi imperii status non permisit, Græcam Ecclesiam cum Latinis communicare. Ita Concilium plenarium ferme ex solius Occidentis Episcopis habitum est, quod & ipsum ob recentiores hæreses minus frequens evasit. Et multæ Occidentis Synodi, quibus Græci non interfuerunt, generales eo sensu sunt, quod ab orbe catholico, qui cum Romano Pontifice communicabat, coalueruńt; nam alias potius patriarchales, quam generales videri possint, quod Cardinalis Cusanus & Christianus Lupus observant (*a*). *Sacrosancto Tridentino Concilio*, inquit Lupus, *nullus adfuit Patriarcha, nullus Græcus Episcopus.... proinde ipsum videtur non generale fuisse aut œcumenicum, sed dumtaxat patriarchale.* Cæterum minoris auctoritatis non sunt habenda Ecclesiæ Romanæ & occidentalis decreta in rebus fidei, quod Ecclesiarum orientalium consensu & concordia destituantur. Etenim innituntur & sustinentur Sedis Apostolicæ auctoritate, quæ veræ fidei depositum majorumque traditiones sincerius conservat.

Non omnes Episcopi Concilio generali debent interesse.

§. III. Secundum veteres regulas ad generale Concilium universi christiani orbis Episcopi debent invitari; at non est necesse, ut omnes conveniant. Sufficit multorum ex omni Ecclesia præsentia; omnes congregari ecclesiasticum ministerium, mala valetudo aliæque causæ non patiuntur. Certe Theodosius Junior indicto Concilio Ephesino, quod erat œcumenicum tertium, & inde Marcianus indicto Chalcedonensi divalibus litteris præceperunt metropolitis, ut certum Episcoporum numerum pro arbitrio secum ad Concilium adducerent, rursumque alios pro ecclesiastico ministerio in provinciis relinquerent (*b*). Præsertim vero adesse generali Synodo debebat majorum gentium Patriarchæ (*c*); qui si interesse vetabantur,

(*a*) Cusan. de Concord. lib. 2. cap. 20., Lupus in dictat. Gregor. VIII. Can. XVI. tom. 5. E. V.
(*b*) Epist. Theod. ad Cyril. Alexandr. part. 1. Conc. Ephes. c. 32., epist. Marciani part. 1. Conc. Chalced. n. 56.
(*c*) Anastas. Biblioth. præf. Synodi VIII.

tur, satis erat mittere legatos & litteras dogmaticas, quibus se & suas patriarchales Synodos omnibus actis & agendis communicare & consentire profitebantur. Et reapse indicta generali Synodo in provinciis præsertim remotioribus peculiares Synodi cogebantur, in quibus de generali Synodo mox habenda tractabatur, & eligebantur legati, qui Synodo omnium nomine secundum mandatorum formulam adessent. Episcopi Occidentis exiguo admodum numero Conciliis generalibus in Oriente celebratis adfuerunt longo itinere impediti, eorumque vices ipsi Romani legati sæpe sustinebant.

Auctoritas Pontificis Synodo generali necessaria.

§. IV. Illud vero constat inter omnes, jure non haberi generalia Ecclesiæ comitia, si summus Pontifex non consentiat, & præstet auctoritatem. Hoc nomine in Concilio Chalcedonensi Lucentius, unus ex Romanis legatis, redarguit Dioscorum, quod repudiata Pontificis auctoritate Synodum Ephesi coactam peregisset: *quod nunquam factum est, nec fieri licet* (*a*), utique ex receptis regulis, quæ id habebant, legitima non esse generalia Concilia, quibus Papa non interesset, aut consentiret. Hinc prima Constantinopolitana Synodus, quod nec ex consensu Pontificis celebrata esset, nec ejus legationem præsidentem habuisset, œcumenica non fuit, nisi postquam Sedis Apostolicæ auctoritas accessit. Et quinta Synodus, cui nec Vigilius Papa, tum Constantinopoli præsens, nec alius ejus nomine interfuit, omnium consensu inter generales convaluit, postquam peculiari constituto eam Pontifex probavit & recepit. Ex regulis vero ecclesiasticis non est necessaria Pontificis præsentia, sed sufficit ejus legatos adesse: & reapse Conciliis in Oriente celebratis summus Pontifex nunquam interfuit, etsi in loco Concilii versaretur, sed potius legatos mittere consuevit. Cæterum in quibusdam casibus extraordinariis Concilium generale absque Papa recte habetur, idque non modo in schismatis casu, si Papa sit dubius; sed etiam extra schisma, si sit hæreticus, si detentus, si mentecaptus, si aperte simoniacus, aliisque similibus casibus, quos evenire posse theologi juxta ac canonistæ docent (*b*).

Imperatores olim Concilia generalia indicebant.

§. V. Quo autem ex toto orbe christiano Episcopi conveniant, & Synodum celebrent, indictio legitima præcedat, oportet. In veteri disciplina Synodos œcumenicas indicebant christiani Imperatores missis divalibus litteris ad metropolitanos aut Patriarchas, qui sibi subjectis Episcopis mox celebrandam Synodum denuntiabant. Sane Concilium Nicænum Constantinus M., Constantinopolitanum Theodo-

(*a*) Conc. Chalced. act. I.
(*b*) Conf. Bossuet. defen. declarat. lib. 3. c. 1.

dosius M., Ephesinum Theodosius Junior, Chalcedonense Marcianus, & deinceps reliqua in Oriente celebrata Imperatores convocarunt: quod argumentum Launojus fuse pertractat (*a*). Hinc ubi Pontifices necessitatem Concilii esse intelligebant, precibus adibant Imperatores, ut Ecclesiæ laboranti suppetias ferrent, & Concilium indicerent (*b*). Tanta vero potestate hac in re olim utebantur Imperatores, ut Concilia ipsis Pontificibus non petentibus indicerent, contra illis petentibus denegarent. Ita ad iterum examinandam Eutychetis causam, qui à Constantinopolitana S. Flaviani Synodo damnatus majus Concilium appellaverat, Leo M. novam Synodum necessariam non censebat: contra Theodosius Imperator ab Eutychetis fautoribus circumventus eam indixit. Et ad emendationem Latrocinii Ephesini Concilium Leo M. habebat necessarium, idem vero Theodosius non concessit.

In nova disciplina Pontifices indicunt Concilia generalia.

§. VI. Quidquid vero sit de veteri disciplina, post VIII. sæculum reipublicæ non minus quam Ecclesiæ statu mutato, summi Pontifices Concilia generalia veluti proprio jure indicere cœperunt. Nimirum Occidentis imperio ab Orientali distracto, itemque ipso Occidente in varia regna dissecto, non erat amplius in unius Principis potestate omnes christiani orbis Episcopos in unum congregare, quin nec solidi Occidentis, in quo multa regna imperialem excusserant potestatem. Concilii quoque œcumenici congregatio ad solum Occidentem per schisma Græcorum redacta erat: nam si ex utraque Ecclesia Concilia coalescere perrexissent, vix erat, ut Græci Conciliis sine auctoritate Imperatoris indictis consentirent. Ita post sæculum X. nullo adversante generalia Occidentis Concilia Pontifices indixerunt, jamque inter decreta Gregorii VII. illud extat, nullam Synodum *absque præcepto Papæ*, hoc est absque Pontificis indictione, posse generalem vocari (*c*). Cæterum Conciliis à Pontifice indictis etiam Principes debent consentire, quo facilior sit eorum celebratio, Episcopis regnis & provinciis egredi liceat, & spiritualis Ecclesiæ auctoritas temporali gladio fulciatur. Dantur vero aliqui casus, quibus etiam sine pontificia indictione Concilia, alias Ecclesiæ necessaria, celebrantur, veluti si summus Pontifex infirmitate laboret, aut si inter duos pluresve Pontifices Ecclesia scindatur: quibus casibus Concilium indicunt Cardinales, sed Principibus assentientibus. Nec dubitatur, quin ipsa generalis Synodus antequam dissolvatur, aliam sequentem possit indicere (*d*). *Ri-*

(*a*) Launojus ep. lib. 6. ep. I. & seqq.
(*b*) Leo M. ep. XXIII. ad Theod. ed. Q.
(*c*) Dictat Greg. VII. Can XVI.
(*d*) Conf. Febron. de Statu eccles. c. 6. §. 3.

Richerius jus indicendæ Synodi generalis Imperatori vindicat.

§. VII. Jam non levis disputatio est, quo jure olim Imperatores Synodos generales indixerint. Græci scriptores, quibus adstipulantur recentiores hæretici, & ex catholicis Richerius & Febronius (*a*) contendunt, Imperatoris, non Pontificis esse Synodum generalem congregare: & hinc inter alias causas, cur Synodum Tridentinam non recipiendam Molinæus docuerit, hæc profecto fuit, quod à Pontifice, non ab Imperatore, indicta esset. Provocant ad jura Principum, quorum interest exortas in Ecclesia de fide controversias quam cito finiri, ut legitima auctoritate compositæ Ecclesiam & rempublicam non perturbent. Addunt varia antiquitatis testimonia, in primis vero consistunt in Leone M. (*b*), qui Latrocinii Ephesini infelicem exitum emendaturus, à Theodosio juniore exorat Concilii celebrationem, & quidem talibus verbis, quæ aperte videntur contestari, id jus Imperatoris, non Pontificis fuisse. *Si pietas vestra*, inquit Pontifex, *suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale Concilium, cito (auxiliante Deo) poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota resecari.* Extant alia Leonis M. similia loca, quæ exhibiturus Zieglerus præfatur (*c*): *petebat igitur.* Pontifex nimirum, *ab Imperatore, ut id fieret; & quidem verbis talibus, quæ auctoritativam Imperatorum in convocandis Conciliis potestatem satis clare describunt.*

Contra plerique catholici id tribuunt Pontifici.

§. VIII. Ex adverso Baronius, Bellarminus, Thomassinus, Nat. Alexander, Christianus Lupus aliique multi tenent, omni ætate jus fuisse summi Pontificis, non Imperatoris generalia Concilia convocandi; in quam sententiam multa proferunt argumenta, sed potiora huc redeunt. Concilia œcumenica universam repræsentant Ecclesiam, atque adeo tantum in nomine, seu auctoritate Christi convocanda: jure igitur ab eo indicenda, cui Christi auctoritas per universam Ecclesiam concredita est. Synodus quoque Constantinopolitana I., Pelagius II. summus Pontifex, Maximus Martyr & capitularia Regum Francorum id habent expresse, Pontificis esse Synodos indicere generales (*d*). Præterea primis sæculis solius Ecclesiæ judicio atque auctoritate, non Imperatorum jussu multa Concilia, etiam numerosissima, convocata sunt: cumque quod ab Ecclesia gestum est prioribus sæculis, quæ apostolica vocantur, norma

(*a*) Richer. Hist. Concil. c. 2., Febron. de Statu eccles. c. 6. §. 2.
(*b*) Leo M. ep. XXIII. ad Theod. ed. Q.
(*c*) Ziegler. de Episcop c. 18. n. 25.
(*d*) Conc. Constantinop. ep. synod. ad Damas. ap. Theodoret. lib. 5. c 9., Pelag II. ep VIII., Maxim. Martyr in Collat. cum Theodosio Episc. Capit. Reg. Franc. lib. 4. c. 12., & lib. 6. c. 287.

ma sit eorum, quæ sequentibus fieri oportebat, consequitur, Concilia pacatis temporibus judicio Ecclesiæ convocari debuisse (*a*). Item Imperator Valentinianus aperte profitetur, non esse sui juris negotiorum ecclesiasticorum tractationem & Conciliorum indictionem (*b*). Quod si Concilia œcumenica priora ab Imperatoribus indicta sint, id facto potius quam jure gestum hujus doctrinæ patroni interpretantur, & facto quidem, cui Ecclesiæ, aut Pontificis auctoritas præluxit, aut accesit. Facile enim non erat in veteri disciplina sine Imperatoris auctoritate Concilia generalia celebrari: per publicas leges conventus agitare Principe non concedente erat interdictum, litteris tractoriis ab Imperatore datis ad iter faciendum, & necessarias impensas Episcopis opus erat, & sacra Antistitum potestas temporali imperio erat sustinenda. Hinc factum, ajunt, ut Ecclesia ipsa Synodos ab Imperatoribus impetraret, vel Principibus eas indicentibus assentiretur, non quod Imperatorii juris indictionem esse crederet, sed potius quod ministerio Principis indicta Synodus facilius & promptius coalesceret (*c*).

Launojus ad disciplinam pertinere docet.

§. IX. Medius inter has sententias Jo. Launojus docet, indictionem non pertinere ad naturam Conciliorum, ac plane disciplinæ, non dogmatis esse, & inde vetera generalia Concilia per Imperatores indicta; recentiora vero, quod jam disciplina mutata esset, per Pontifices fuisse congregata. *Conciliorum generalium indictio*, inquit (*b*), *& convocatio res est disciplinæ, non dogmatis*. Id probat auctoritate Gelasii Papæ (*e*), qui legitimæ & falsæ Synodi recensens characteres, personam congregantis Synodum & Synodi congregationem prætermittit, quippe qui tenebat, parum interesse, quis Synodum convocasset, aut qua ratione convocata esset, modo secundum Scripturas, traditionem Patrum & ecclesiasticas regulas celebraretur. Nec Launojum moratur Marcelli Papæ decretalis ad Maxentium, qua ea Synodus legitima habetur, quæ *apostolica, aut regulari auctoritate* convocetur; nam decretalem istam veluti à Mercatoris officina profectam explodit (*f*): quod omnino verum est. Hac posita doctrina Parisiensis theologus non minus eos refellit, qui aliquid auctoritatis detrahunt antiquis Synodis, quod ab Imperatoribus indictæ sint; quam qui recentiora Concilia & ipsum Tridentinum repudiant, quod à Pontificibus fuerint convocata.

Sum-

(*a*) Conc. Thomass. de Concil. diss. III.
(*b*) Ap. Sozom. lib. 6. cap. 7
(*c*) Conf. N. Alexander sæc. IV. Hist. dissert. 12.
(*d*) Launojus epistolar. lib. 6. epist. XI.
(*e*) Gelas. epist. XIII. ad Episcop. Dardaniæ.
(*f*) Launojus lib. 6. epist. I.

Summus Pontifex Conciliis generalibus præest.

§. X. Jam vero auctoritas summi Pontificis generalibus Conciliis necessaria, ei jus tribuit sive per se, sive per legatos conventui præsidendi: quæ προεδρια in veteri disciplina, ad ea quæ spiritualia erant, spectabat. Concilium œcumenicum universalem repræsentat Ecclesiam, cujus Ecclesia Romana centrum est: atque ideo qui inter Episcopos speciali prærogativa condecoratur, etiam generali Concilio debet præsidere. Sane Synodo Nicænæ Osius Cordubensis Episcopus, Vitus & Vincentius Romani Presbyteri præfuerunt, vicem Silvestri Pontificis sustinentes. Et quamvis plures docti viri Osium non vice Pontificis præsedisse teneant; tamen quum de Osio præsidente loquantur antiqua monumenta, nisi demonstretur, illum vel Principis delegatione præfuisse, necessario dicendum est, vices Pontificis sustinuisse; nam ratione Ecclesiæ suæ (erat Episcopus Cordubensis in Hispania) tanto honore augeri non poterat (*a*). Constantinopolitanæ Synodo nulli Occidentis Episcopi interfuerunt, at Synodus ista potius ex sequenti receptione, quam origine sua universalis censetur. Ephesino Concilio Cyrillus Alexandrinus vices agens Cælestini Pontificis, tresque alii idem adjuncti legati à Pontifice missi præfuerunt (*b*): & in Concilio Chalcedonensi Paschasinus & Lucentius Episcopi, & Bonifacius & Basilius Presbyteri loco Leonis Papæ προεδριαν occuparunt (*c*). Sequentibus Conciliis in Oriente & Occidente habitis etiam Pontifices præfuerunt; at Orientalibus [semper missis legatis, Occidentalibus vero sæpe ipsi Pontifices præsentes clavum tenuerunt. Tantum quintæ Synodo defuit Pontificis προεδρια, nam Vigilius summus Pontifex, tum Constantinopoli præsens, etsi amplissimis legationibus invitatus, noluit adesse, & præsidere, maluitque seorsum à Synodo sententiam dicere: verum Synodus ista tum sine controversia Concilii œcumenici nomen prætulit, ubi auctoritas & constitutum Pontificis accessit, quod sexta universalis Synodus observavit.

Cum relationis & suffragii prærogativa.

§. XI. Sed Pontifici Romano in Conciliis generalibus competens προεδρια non meram sedendi prærogativam importat, sed jus relationis cum prærogativa suffragii habet adnexum. Qui in consessu omnibus præest, procul dubio in omnibus negotiis primus referre & censere debet. Ita in Concilio Apostolorum de legalibus omnium primus Petrus sententiam dixit (*d*). Et deinceps in Conciliis an-

(*a*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 5. c. 3.
(*b*) Cælest. ep. ad Cler. & popul. CP. & epist. ad Concil. Ephesin. Conc. Ephes. act. I.
(*c*) Leo M. ep. LXXII. ed. Q.
(*d*) Act. XV. 7.

antequam ad res propositas definiendas gradus fieret; litteræ Pontificis, quæ in consessu Episcoporum coram beatissimo Apostolo Petro conditæ erant, legebantur. Tantæ autem auctoritatis erat hæc prærogativa relationis & suffragii, ut in Synodo Chalcedonensi eo præsertim nomine dignitati Ecclesiæ Constantinopolitanæ legati Pontificii obstiterint, quod Leo Pontifex ejus rei auctor non fuerat; quemadmodum auctor fuerat rectæ fidei statuendæ: quam legatorum sententiam non omnino Synodus rejecit, sed ob temporis adjuncta sine pontificia relatione discernendum fuisse respondit (*a*). Referre autem & censere oportet Pontifices secundum receptam fidem & antiquam traditionem, quæ sincerius in Ecclesia Romana vigent.

Litteræ Pontificis in Synodis expensæ.

§. XII. Prærogativa autem suffragii, qua Romanus Pontifex in Synodis generalibus pollet, tanta non est ut reliquorum Episcoporum sententias & suffragia tollat, & ulteriorem inquisitionem abrumpat; constat enim ex antiquis monumentis tum receptas per Synodos litteras Pontificis, si instituto examine constaret, illas ex recta fide & disciplinæ regulis conceptas fuisse. *In plenariis Conciliis*, inquit Cardinalis Cusanus (*b*), *gesta & judicata per Romanos Pontifices etiam synodice inveniuntur repetita & examinata, ut in Chalcedonensi Concilio judicium Leonis contra Dioscorum. Et in sexta Synodo judicium synodicum Martini Papæ contra Pyrrhum & Sergium. Et in octava universali judicium Nicolai & Hadriani contra Photium.* Quinta quoque Synodus ex actione illa Concilii Chalcedonensis, qua litteræ Leonis M. nonnisi post resoluta aliquot dubia ab omnibus admissæ sunt, collegit, quæcumque apud Synodos proferuntur, ab iis non simpliciter, sed *cum inquisitione* approbari, nempe si cum expositione & doctrina Patrum congruant. Quod si aliquoties lectis Pontificis litteris statim iis veluti catholicis acclamatum sit ab omnibus, id contigit, quod ex ipsa lectione constabat, Pontificis doctrinam rectæ fidei consentire.

Quo nomine edita Conciliorum generalium decreta.

§. XIII. Quamvis vero in Synodis generalibus decreta prælucentibus relatione & litteris pontificiis condi solerent; tamen in veteri disciplina sub Concilii, non Pontificis nomine edebantur, idque ad exemplum Synodi de legalibus ab Apostolis habitæ, ubi definitio totius conventus nomine prodiit, *visum est Spiritui sancto & nobis* (*c*). Contra in posterioribus Conciliis in Occidente celebratis major relationis pontificiæ ratio habita est, atque adeo decreta sæpe concepta sub nomine Pontificis de Synodi consensu, veluti, *nos hoc sa-*

(*a*) Epist. synod. Conc. Chalced. ad Leonem.
(*b*) Cusan. de Concord. lib. 2. cap. 17.
(*c*) Act. XV. v. 28.

sacro approbante Concilio damnamus. Nova ista formula præsidio antiquitatis non destituitur; in Concilio enim Chalcedonensi Dioscorus damnatus est per legatos pontificios auctoritate Leonis *sancta Synodo consentiente* (*a*). Nec videtur dubitandum, novam formulam etiam opportunam esse, nam ex auctoritate Pontificis & consensu Patrum semper definitiones in Synodis processerunt, & procedere debent (*b*). Cæterum inscriptiones decretorum Conciliarium, quas codices decretalium exhibent, amplius pontificias extollunt relationes, veluti *Alexander III. in Concilio Lateranensi, Innocentius III. in Concilio generali*; dicere nimirum videntur potius per Pontifices in Concilio, quam probante Concilio decreta illa concepta fuisse.

Causæ habendarum Synodorum generalium.

§. XIV. Generalia Concilia celebrari debent ex gravi & necessaria causa, quæ magnas inter se Ecclesias scindit, nec pax aliter restitui posse videtur, nisi Ecclesiæ universæ auctoritate. Quid magis rationi contrarium, quam ob leves quæstiones sollicitari christianum orbem, & Ecclesias suis pastoribus destitui? Prudens & æquum consilium est remedia morbis accommodari. Certe in actis Apostolorum Concilium convocatum videre licet, non tam quod suborta esset quæstio, quam quod post quæstionem *seditio non minima* cœpisset (*c*). Et ad configendas hæreses Menandri, Ebionis, Cerinthi, Marcionis, Nicolaitarum & similium nullo opus fuit Concilio etiam particulari: contra hæreses de Baptismo hæreticorum, Arianorum, Macedonianorum & similium nonnisi coactis generalibus Synodis suffocari potuerunt. Consonat Paulus III. in ipsa Tridentini Concilii indictione, ubi hæ tres generalis Concilii habendi causæ recensentur, *ad tollenda in religione dissidia, ad reformandos mores, ad suscipiendam contra infideles expeditionem*; quod ultimum non facile veteres Patres admisissent. Et Petrus de Alliaco Cardinalis postquam observavit ad tollenda schismata celebrari debuisse generalia Concilia, subjungit (*d*): *item aliqui sunt casus ardui necessario reformandi, in quibus non potest commodius quam per generale Concilium provideri: sicut patet primo de reformatione curiæ Romanæ, quæ necessaria est.*

De tempore celebrandæ Synodi generalis.

§. XV. Ex veteribus regulis nullum certum tempus habendis generalibus Ecclesiæ comitiis definitum est, sed tantum extra ordinem emergentibus causis indici consueverunt; nec enim ulla certa regula poterat definiri, quod ab extraordinariis causis pendebat. Sed pos-

(*a*) Conc. Chalced. Act. III.
(*b*) Conf. Thomass. diss. XII. in Concilia n. 32.
(*c*) Actor. XV. 2.
(*d*) Card. Alliac. in Canonib. reformandi Eccles. Conc. Constantiensi oblatis c. 1.

postremis sæculis lapsa omnino ecclesiastica disciplina, frequens & veluti ordinaria Conciliorum generalium celebratio in Ecclesiis Occidentis necessaria visa est, ut malis, quæ disciplinam penitus corruperant, occurreretur. Itaque statuit Synodus Constantiensis, ut Concilium generale *de decennio in decennium* celebraretur (*a*). Decretum hoc Patres Basileenses ita habent necessarium, ut oculos in capite (*b*) nec in summis Pontificis potestate esse voluerunt, ut illud tolleret & vanum redderet, *esset enim*, inquiunt, *contra mentem Ecclesiæ, quæ illud pro universali Ecclesiæ statu conservando edidit, de quo Pontifex non disponit, aut dispensat.* Cæterum frequens Conciliorum adunatio Patribus Constantiensibus necessaria visa est spectata ejus ætatis disciplina, quæ etiam in ipsa omnium principe Ecclesia adeo corrupta erat, ut sine plurium Conciliorum sibi consequentium celebratione vix restitui posse videretur. Sed decretum effectu caruit contra stantibus iis, quibus restauratio disciplinæ curæ esse debuisset.

Synodus generalis universam Ecclesiam repræsentat.

§. XVI. Synodus generalis universam repræsentat Ecclesiam; coalescit enim ex christiani orbis Episcopis, & Ecclesiæ particulares in Episcopis sunt. Inde docet Tertullianus in Conciliis totius christiani nominis repræsentationem celebrari. *Aguntur*, inquit (*c*), *per Græcias illa certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis christiani magna veneratione celebratur.* Et Augustinus universam Ecclesiam in plenario Concilio adunatam agnoscit (*d*). *Nec nos tale aliquid auderemus adserere* (loquitur de jam finita in plenario Concilio controversia de vi & efficacia Baptismi ab hæreticis collati) *nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui & ipse,* Cyprianus nempe, *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Plura quoque Concilia recentiora in primis Pisanum, Constantiense, Senonense & Basileense, & Pontifices numero tres Martinus V., Eugenius IV. & Leo X. conceptis verbis habent, in Synodo œcumenica universalem Ecclesiam exhiberi: quæ eadem est Tridentinæ Synodi doctrina (*e*), etsi in ejus decretis adhibita non fuerit formula, *œcumenica Synodus universalem repræsentans Ecclesiam.*

Atque adeo in rebus fidei errare non potest.

§. XVII. Decreta Synodi generalis rite & ordine celebratæ in re-

(*a*) Conc. Constant. sess. XXXIX.
(*b*) Conc. Basil. ep. ad Eugen Papam ap. Harduin. tom. 8. col. 34.
(*c*) Tertull. de Jejuniis cap. 13.
(*d*) August. lib. 2. de Bapt. cap. 4.
(*e*) Trid. sess. XIV. cap. 5.

rebus fidei & doctrina morum certam fidem faciunt; Synodus enim generalis universam Ecclesiam, contra quam ex Christi promissione portæ inferi non prævalebunt, repræsentat. *Visum est Spiritui S. & nobis*, inquit Synodus Hierosolymitana Apostolorum (*a*): quibus verbis constat, Spiritum S. in Conciliis præsidere, & fidei decreta dirigere. Hinc Gregorius M. protestatur, se veluti Evangelii quatuor libros quatuor priora universalia Concilia suscipere & venerari (*b*). At si Patres in Conciliis de quæstionibus facti, aut rebus politicis & physicis tractent, & decreta condant; non divina, sed humana auctoritate definitiones nituntur; Spiritus enim sanctus tantum in rebus fidei decreta Conciliorum sustentat, nec Patribus adest, dum quæstiones facti, aut res politicas, physicasve perscrutantur (*c*). Itaque nullo negotio scire licet quanta sit auctoritas Canonis illius, qui ab Innocentio III. in Concilio generali propositus perhibetur, qui supponit, Romanum Pontificem potestatem habere privandi dominos tum beneficiarios, tum directos suarum rerum dominio, si hæreticos inde expellere neglexerint (*d*). Ejusdem generis est etiam dogma illud ab eodem Innocentio III. ex judicio Synodi generalis propositum, nullam valere usucapionem tam canonicam, quam civilem, si possessor in aliqua temporis parte fuerit in mala fide (*e*). Nimirum res temporales & politicæ civilis potestatis sunt, & si Concilia etiam generalia de iis aliquid statuant, extra fines propriæ potestatis evagantur, & decreta prorsus diverso à regulis fidei jure censentur.

Canones de disciplina etiam generales mutabiles sunt.

§. XVIII. Diverso à regulis fidei ingenio sunt de disciplina Canones etiam in Synodis generalibus conditi: hi enim non seu ipsa disciplina perpetui non sunt, sed à posterioribus Conciliis mutari possunt, vel contrariis moribus desuescere. Quo spectat Augustini doctrina, Concilia nempe plenaria à posterioribus emendari, quando aliquo experimento, quod clausum erat, aperitur (*f*). Emendantur vero à posterioribus Conciliis disciplinæ Canones, si minus utiles facti sunt, aut si meliores regulæ antiquioribus substituantur. Vere enim observat Didacus Payva Lusitanus, unus ex melioribus Synodi Tridentinæ theologis, Concilia generalia *circa leges ad Ecclesiam componendam latas posse errare, & non semper salubriora statuere* (*g*). Nimirum pro humana conditione fit, ut homines

(*a*) Actor. XV. v. 28.
(*b*) Can H. D 15.
(*c*) Conf. Petr. de Marca lib. 2. de C. S. & I. cap. 16. n. 9. & Dupin. de Antiq. eccles. discipl. diss VII. cap. 3. § 4.
(*d*) Conc. Lateran. IV. Can. IV.
(*e*) Cap. 20. ext. de Præscript.
(*f*) August. de Bapt lib 2. cap. 3.
(*g*) Payva Defens. Trid. fidei lib. 1. de Concilior. gener. auctorit.

nes nisi post multas experientias meliora non adsequantur; & præterea ubi semel corrupta est disciplina, & abusiones longe lateque diffusæ, cogitur Ecclesia aliquid ad tempus dissimulare & tempori deservire, ne evellens zizania, evellat simul & triticum. Ipsi Tridentini Patres professi sunt, pro temporum iniquitate integram disciplinam non posse restitui (*a*). Et inde factum, ut Ecclesia sæpe multa ad tempus tolerarit potius, quam perpetuo valitura statuerit: quod non intelligentes homines à spiritu Ecclesiæ alieni veluti stabiles regulas habuerunt, quæ illa ad tempus tolerabat, meliori tempore emendatura (*b*).

Receptio Ecclesiarum an decretis synodicis necessaria?

§. XIX. Auctoritas Conciliorum generalium per universam Ecclesiam extenditur; sed non omnia eorum decreta pari donantur vi, ut post solemnem publicationem ex æquo Ecclesias omnes particulares adstringant. Nimirum distinguere oportet fidei decreta ab iis, quæ disciplinæ sunt. Fidei decreta sine Ecclesiarum acceptione omnes christianos adstringunt, sunt enim ipsa christiana doctrina clarius per Ecclesiam explicata; atque ideo ipsi Spiritui sancto resistunt, qui fidei decreta non recipiunt, aut in dubium revocant. Verum disciplinæ Canones non ante incipiunt obligare, quam Ecclesiarum expresso aut tacito consensu recipiantur (*c*). Disciplina est ex eo genere rerum, quæ liberas habet observationes, nec eo spectantes Canones facile sic concipi possunt, ut institutis & moribus particularium Ecclesiarum conveniant. Hinc integrum est Ecclesiis, quæ minus apta judicaverint, respuere, & novis regulis antiqua instituta præferre. Quod ipsa Concilia non ægre tulisse videntur; nec enim eorum sententia fuit, utilia Ecclesiarum instituta novis Canonibus convellere. Passim extant in antiquis monumentis exempla Canonum generalium Conciliorum, quos Ecclesiæ non receperunt ut exemplo esse possunt aliquot Synodi octavæ Canones ab Ecclesia Gallicana rejecti, & Canon Chalcedonensis de Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarchatu, cujus auctoritatem Romani Pontifices diu non admiserunt. Hinc nihil mirum est, si multi Tridentinæ Synodi Canones, qui ad disciplinam pertinent, ab omnibus Ecclesiis non recipiantur, quamvis in fide omnes orthodoxi conveniant (*d*).

Variæ sententiæ de supremo Ecclesiæ auditorio.

§. XX. Jam vero utrum Synodus œcumenica supremum in Ecclesia auditorium constituat, cui summus Pontifex etiam subjaceat; an po-

(*a*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 21.
(*b*) Conf. Espen. tract. hist. canon. part. 1. cap. 1. §. 4.
(*c*) Conf. Petr. de Marca lib. 2. de C. S. & I. cap. 16.
(*d*) Conf. Franc. Florens diss. de Orig. jur. canon. part. 1.

potius Pontifex supra Synodum sit, magnis animis controvertitur. Clerus Gallicanus solemni edita professione tenet, supremam in Ecclesia potestatem esse penes Concilium generale, atque ideo ipsum summum Pontificem ab eo judicari posse in causis hæresis, schismatis & aliis, quæ universæ Ecclesiæ statum spectant quam doctrinam multis congestis argumentis Launojus, Nat. Alexander, Dupinus, Bossuetius aliique plures confirmare adgressi sunt. Contra antiquiores ex schola theologi, & deinceps alii magno numero Pontificem supra Concilium extollunt, & quidem tanta potestate, ut non possit se subjicere Concilii sententiæ, utique si de proprio judicio agatur; idque *esse fere de fide* Bellarminus pronunciat (*a*). Inter has sententias veluti medium tenet iter Cardinalis Cusanus (*b*), docetque, Synodum œcumenicam universi christiani orbis seu ex quinque patriarchatibus coactam, qualis in vetere disciplina coalescebat, Pontifice esse superiorem, non vero Synodum plenariam Occidentis, quæ origine sua patriarchalis tantum est, sed propter schisma Græcorum generalis censetur. Quæstio ista Bellarmino exorta videtur tempore Concilii Pisani; dum enim in duas factiones Ecclesia scissa erat, nec dissidentes Pontifices serio de tollendo schismate cogitarent, utriusque partis Cardinales tractare cœperunt, an sibi elliceret Concilium generale invitis Pontificibus convocare, & Pontifices deponere: quæ observatio nescio an vera sit. Illud tamen non videtur dubitandum, rem ipsam in Ecclesia semper agnitam fuisse, etsi in utramque partem more scholarum non disputaretur.

Summi Pontifices olim in Conciliis generalibus judicati.

§. XXI. Instituti mei ratio non patitur theologica ista pertractare, paucis tantum dicam, qui fuerit veteris Ecclesiæ usus, ubi agebetur de Pontificibus judicandis, & inde referam recentiorum Conciliorum decreta, idque potius historici, quam theologi partes agens. Et ad primum quod spectat, videtur constare, Synodos œcumenicas de summis Pontificibus potuisse judicare. Nimirum ex veteribus regulis Clerici omnes, etiam ipsi Pontifices, subjecti erant sacris Canonibus, atque adeo propter gravia crimina etiam occulta à Canone erant alieni, & officiis suis & sacerdotio cadebant (*c*). Itaque si summus Pontifex in crimen aliquod incideret, nec se pontificatu abdicaret, judicio Ecclesiæ extrudebatur. Certe sexta Synodus Honorium Pontificem, etsi fato functum, tanquam monothelitam anathemate percussit: quod si mortuum anathemata innodavit, etiam vivum episcopatu dejecisset. Et Synodus octava manifeste supponit, Concilii generalis auctoritatem pontificia esse superiorem, si-

(*a*) Bellarm. de Concil. lib. 2. cap. 17.
(*b*) Card. Cusan. de Concord. lib. 2. cap. 20.
(*c*) Conf. Christ. Lupus schol. in dict. Greg. VII. Can. XIX.

siquidem controversias & quæstiones Romanam Ecclesiam, adeoque & summum Pontificem ei præsidentem, spectantes, à Concilio judicari statuit, servata tamen erga ipsum reverentia, ita ut *audacter* contra eundem sententia non dicatur, hoc est, non præmissa diligenti inquisitione & maturo judicio (*a*). Ipsi quoque Pontifices in primis Gregorius IV. & Innocentius III. fatentur, se propter gravia crimina posse deponi (*b*), utique à Synodis generalibus: quod omnino admittendum est, quando Gregorius dicit, se propter gravia crimina à Synodo particulari deponi posse & judicari. Sed dum Synodi generales reos graviorum criminum Pontifices judicabant, proprie sic dictam jurisdictionem exercebant, an potius eos pontificatu dejectos declarabant? Qui Pontificem supra Concilium extollunt, Synodos tantum declarasse asserunt, non vere judicasse: quæ responsio tanquam merum ludibrium à theologis Parisiensibus exploditur.

Synodi tres Concilium generale supra Pontificem extollunt.

§. XXII. Alterum, quod observandum nobis est, spectat recentiora Concilia, quæ de supremo Ecclesiæ auditorio decernunt. Id fecerunt concordibus suffragiis Concilia Pisanum, Constantiense & Basileense, quorum doctrina est, Concilium generale esse supra Pontificem. Sit instar omnium decretum Constantiense, quo habetur, Concilium generale universam repræsentans Ecclesiam, potestatem suam immediate habere à Christo, *cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ generalem in capite & in membris* (*c*). Decreta ista à tribus Conciliis generalibus condita sunt, & quidem causa cognita post excitatam de supremo Ecclesiæ auditorio controversiam, eademque à Pontificibus fuisse confirmata theologi Parisienses tradunt (*d*). Equidem gesta Concilii Pisani Alexander V., qui tum ab omnibus pro legitimo Pontifice habebatur, confirmavit; docetque Bossuetius, Concilii Pisani auctoritatem sine temeritatis nota rejici non posse. Decreta Constantiensia probavit Martinus V., qui illa tantum excepit, quæ sejunctim per nationes definita fuerunt: decreta vero de Concilio super Papam per nationes primum probata, inde per universam Synodum definita sunt. Et demum Eugenius IV. post varios casus acta Concilii Basileensis probavit, & ea omnia confirmavit, quæ ab initio decreta fuerunt usque ad decimamsextam sessionem, in qua bulla confirmationis continetur.

Ex-

(*a*) Conc. VIII. Can. XXI.
(*b*) Greg. IV. epist. ad Episc. Galliæ, Innocent. III. lib. 3. ep. CIV.
(*c*) Conc. Constant. IV. & V.
(*d*) Conf. Dupin. diss. VI. de Antiq. eccles. discipl. §. 5. Bossuet. Defens. declarat. lib. 9. cap. 12.

Exceptiones contra proposita Conciliorum decreta.

§. XXIII. Apertis trium Synodorum generalium decretis finita videri possit controversia de Concilii auctoritate supra Pontificem; at qui Pontificis partes tuentur, nihil inde metuunt, saltem decreta illa variis exceptionibus enervant, ut supremæ Pontificis potestati non officiant. Principio Pisanam Synodum tanquam incertæ fidei & auctoritatis traducunt, eam enim S. Antoninus tanquam minus legitimam habuit (*a*): itemque Alexander V. in ea electus ejusque successor Joannes non temere à multis in ea tempestate velut illegitimi Pontifices respuebantur: de quorum tamen legitima electione ambigendi locus non erat, si Pisana Synodus certo tanquam legitima haberetur. Deinde Concilium Constantiense, quo tempore condidit decreta de suprema Concilii potestate, tanquam minus generale prædicant; ei enim aderat tantum tertia Ecclesiæ pars, nimirum ii tantum Prælati, qui Joanni XXIII. obediebant, non vero qui Gregorio XXII. & Benedicto XIII. erant addicti. Alii exceptionibus istis non acquiescunt, atque adeo decreta Pisana & Constantiensia ad casum schismatis restringunt (*b*); & revera quo tempore schismate concussa erat Ecclesia, condita sunt. Ad hæc, contra decreta sessionis IV. Synodi Constantiensis Schelestratus novam exceptionem excogitavit, qua ea tanquam vitiata & corrupta accusat. Demum contra decreta Synodi Basileensis de Concilii potestate supra Pontificem excipiunt, à nullo Pontifice fuisse probata, nec ab Ecclesia recepta, quin potius in Concilio Lateranensi V. reprobata, ubi bulla Leonis V. ab universo Concilio agnita Romanum Pontificem supra Concilium extollit (*c*). Quanti vero habendæ sint hujusmodi exceptiones, theologi Parisienses disquirunt.

Sententia, quæ fert, Synodos generales vi propria consistere.

§. XXIV. Exposita in utramque partem doctrina præjudicialis est, inservitque alteri quæstioni, utrum generalia Concilia rite celebrata, quo rata & firma sint, summi Pontificis speciali confirmatione indigeant, an potius vi sua consistant. Parisienses theologi tenent, generalia Concilia Spiritus Sancti auctoritate, qua universa Ecclesia regitur, sustineri, nec opus habere Pontificis approbatione. Provocant ad decreta & Canones Conciliorum, quæ talibus formulis concepta sunt, ut vi sua constent, nullo prorsus addito futuræ confirmationis indicio (*d*). Deinde antiqua Concilia vi sua stetisse pronunciant sine speciali Pontificis confirmatione; nam etsi de rebus gestis Patres subinde relationes ad Pontifices miserint;

(*a*) S. Anton part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 2. & seq.
(*b*) Campeg. de Potest. Rom. Pontif. cap. 22., Sander. de Visib. monarch. lib. 7.
(*c*) Conf. Bellarmin. lib. 2. de Conc. cap 19.
(*d*) Conf. Bossuet. Defens. declarat. lib. 13. cap. 10.

rint; tamen id factum est, ut in gestorum notitiam Pontifices venirent, & ea in usum deduci curarent, non quod confirmatio necessaria censeretur. Ita Synodi Ephesinæ Patres rei gestæ mittunt relationem ad Cælestinum, nullam actorum petunt confirmationem (*a*). Et Synodus Chalcedonensis litteris ad Leonem M. datis gesta de fide narrat, nullaque expositæ doctrinæ petita confirmatione, tantum confirmari petit prærogativam Constantinopolitani patriarchatus, quam Synodus repugnantibus Romanis legatis decreverat (*b*): quæ diversa agendi ratio plane probat, decreta Conciliorum consentientibus Romanis legatis, & ex sententia litterarum apostolicarum condita sine pontificia approbatione vi sua constitisse. Synodus quoque septima generalis gesta etiam misit ad Pontificem, at nihil in litteris extat, unde constat, confirmationem petitam fuisse (*c*). Extat quidem sub nomine Synodi Nicænæ epistola ad Silvestrum Pontificem, qua Concilii confirmatio postulatur extatque etiam sub nomine Silvestri responsio, qua petitam confirmationem impertitur; at utrumque hoc opus ex criticorum sententia posteriorem manum redolet.

Contra docent alii, indigere Pontificis confirmatione.

§. XXV. Ex adverso theologi Itali, qui Romanum Pontificem supra Concilium extollunt, & ex Gallis Thomassinus docent, eas tantum generales Synodos legitimas esse, quas summus Pontifex probaverit, nullius vero esse roboris, quas ille rejecerit. Certe Synodus sexta & octava generales, & ex recentioribus Tridentina confirmationem à Pontificibus petierunt, in cujus postremæ confirmatione Pius IV. asseruit, id fecisse Patres de more veterum Conciliorum. Multa quoque Concilia vim suam perdiderunt, quod à Sede Apostolica rejecta sunt, veluti Ariminensis & Ephesina II. à Dioscoro habita. Item Leo M. auctoritate sua irritum fecit & cassavit Canonem Chalcedonensem, quo Ecclesiæ Constantinopolitanæ repugnantibus Romanis legatis patriarchatus prærogativa decreta est (*d*). Porro aperta sunt veterum testimonia, quibus constat generalia Concilia per Pontifices debere confirmari. *Prima sedes*, inquit Gelasius Papa (*e*), *unamquanque Synodum auctoritate sua confirmat.* Et Nicolaus Papa I. (*f*) *non ergo dicatis, non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum, quæ consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.*

Hu-

(*a*) Epist. synod. Conc. Ephes. ad Cælest. ap. Harduin tom 1. Conc col. 1503.
(*b*) Epist. synod. Conc. Chalced. ad Leonem ap. eund. Hard. tom. 2 col. 655.
(*c*) Epist. Tarasii Patr. Constant. ad Hadrian. ap. Harduin. tom. 4. col. 507. & 511.
(*d*) Leo M. ep. LXXIX. ad Pulcher edit. Quesn.
(*e*) Gelas. Papa ep. XIII. ad Episc. Dardaniæ.
(*f*) Nicolaus I. ep. VIII.

Hujus sententiæ rationes quî dilui solent.

§. XXVI. His aliisque Italorum argumentis theologi Gallicani nihil moventur, iisque tam facile responderi posse putant, quam vulpes pirum comest. Et in primis contendunt, Concilia generalia in ecclesiasticis monumentis dici à Pontificibus confirmari, non quatenus inde roborentur, & canonica fiant; sed quatenus Pontifices iis adsentiantur, eadem promulgent, custodiant, & in usum deducant: quo sensu confirmationem decretorum sæpe stilo ecclesiastico denotare multis congestis exemplis Bossuetius probat (*a*). Et quî alias accipi potest, quando ipsa generalia Concilia antiquiora ab aliis generalibus, aut particularibus Synodis confirmata leguntur? quando ipsa Pontificum synodica decreta à Synodis particularibus, & ab ipsis Episcopis dicuntur confirmari? Addit N. Alexander, pontificias confirmationes etiam haberi posse tanquam declarationes, quibus constet, Concilia jure fuisse celebrata (*b*); quo sensu confirmatio pontificia gestis Conciliorum per se valituris vim novam non addit, quod probat exemplo Scripturarum canonicarum, quæ divinitus suam habent auctoritatem; & tamen Ecclesia decernit, quæ divinæ & canonicæ censeri debent. Præterea docent theologi isti, reprobata per Pontifices Concilia perdidisse quidem vim suam, at non tam auctoritate Pontificum, quam intrinseco vitio; nam Concilia illa, utpote contra regulas celebrata, initio nulla & irrita erant: atque adeo definitiones pontificias id tantum effecisse, ut talia haberentur. Quo eodem sensu reprobatum à Leone M. dicunt Canonem Chalcedonensem, quo Ecclesia Constantinopolitana patriarchatus prærogativa augebatur. Nimirum summus Pontifex Canonem illum ab Anatolii ambitione profectum, & contra Canones Nicænos spiritu Dei conditos reputabat, atque adeo intrinseco vitio laborare. Ita vocabulum *cassamus*, quo utitur Pontifex (*c*), idem sonare docent, ac irritum declaramus, & cassum pronunciamus.

CAPUT XIV.

De regia in Synodos potestate.

Consensus Principis Synodis habendis necessarius.

§. I. Quamvis decreta Conciliorum ad fidem & res spirituales pertinentia Ecclesiæ potestati innitantur; tamen civilis potestas non uno nomine iis adhæret, & in eorum celebratione partem habere debet.

(*a*) Bossuet. defens. declar. lib. 13. c. 2.
(*b*) N. Alexand. diss IV. in XV. & XVI. sæc. n. 46.
(*c*) Leo M. cit. ep. LXXIX. edit. Quesn.

bet. Principio ad Synodos cogendas consensus Principis requiritur; conventus enim hominum & collegia legibus non probata jure publico haberi prohibentur (*a*), ne de coeuntibus privatorum consiliis publicum aliquando malum erumpat; & ne comessationum & compotationum intemperantia, qua collegia redundabant, civitati noxia esset (*b*). Itaque ad Principis majestatem spectat collegia probare, & videre num coitiones permitti debeant. Consensus autem Principis ad Synodos habendas necessarius aut expressus, aut tacitus est. Et expressus quidem requiritur, ubi extraordinariæ Synodi indicuntur; tacitus vero sufficit, si jure ordinario & statis temporibus habeantur; quando enim legibus publicis probati sunt Canones, qui statis temporibus Synodos habendas decernunt, legitimæ sunt ejusmodi coitiones ex generali legum concessione. Quid quod Gratianus Imperator lata lege concessit, ut Clerici locis suis, & à suæ diœcesis Synodis in causis ecclesiasticis judicentur (*c*)? Cæterum in Occidente mediis sæculis Canones Concilii Meldensis & Emeritensis etiam ad habendas statis temporibus provinciales Synodos concessionem Principis exorant (*d*), fortasse quod antiquarum legum vis nulla erat. Moribus hodiernis quum ipsæ ordinariæ Synodi raro habeantur, ad eas habendas etiam regius assensus videtur necessarius. Et reapse in Gallia & Belgio postremis sæculis Synodi provinciales ex Principis concessione habitæ sunt (*e*).

Concilia ab Apostolis habita ex legum concessione.

§. II. Sed permolesta hic se offert objectio, cui nescio an aliquis hactenus satisfecit, auctoritas nimirum & exemplum Apostolorum, qui sine ullo publici imperii assensu Concilia agitarunt: quo præjudicio constare potest, ad Synodos habendas Principis consensum non requiri. Vereor certe, ne huic ratiocinio plus pompæ, quam soliditatis insit. Sane cum Judæi in ditionem Romanam transierunt, integrum retinuerunt suæ religionis exercitium, & eorum collegia, quæ *synedria* etiam vocabantur, improbata non sunt, quod ex Josepho scire licet, qui ex actis publicis refert, C. Cæsarem interdictis in urbe cœtibus & coitionibus, solis Judæis non prohibuisse χρήματα σύνεισφέρειν ἅυπε σύνδειπνα ποεῖν, *pecunias inferre & simul agere convivia* (*f*), hoc est collegia habere; collegiorum enim indicia erant pecuniæ collatio & convivia, quod recte Cujacius observat (*g*). Permissa vero fuerunt Judæis collegia, quod non erant crapulæ & vi-

(*a*) L. 1. & seqq. D. de Colleg.
(*b*) Conf. Cujac. lib. 7. Observ c. 30.
(*c*) L. 23. C. Th. de Episc.
(*d*) Conc. Emeritense anno IↃCLXVI. Can. VII., Conc. Meldense anno IↃCCCXLV. Can. II.
(*e*) Conf. Espen. part. 1. tit. 20. c. 4.
(*f*) Joseph. lib. 14. Antiquit.
(*g*) Cujac. lib. 7. observ. 30.

vinolentiæ, nec seditionum conventicula; sed scholæ virtutis & temperantiæ, quod Augustus in suis edictis apud Philonem expressit. Jam vero Romani primævos christianos cum ipsis Judæis confundebant, eosque veluti quandam Judæorum sectam habebant, atque adeo ex generali legum concessione, prima christianorum Concilia habita sunt. Et quidem dum Suetonius scribit: *Judæos impulsore Chresto* (ita gentes Christum appellabant) tumultuantes Roma per Claudium ejectos (*a*), certe nomine *Judæorum* christianos intelligit: quod Lipsius, Petavius, Seldenus aliique observarunt (*b*). Similiter *Judæi* illi, in quorum mores transierat cum aliis Acilius Glabrio vir consularis, ac propterea atheismi accusatus, & ad supplicium raptus (*c*), christiani fuerunt.

Primis sæculis habita Concilia ex Principum tolerantia.

§. III. Hoc Apostolorum præjudicio suffulti Apostolorum successores, ubi per persecutiones licuit, Concilia agitarunt, de assensu civilis potestatis parum solliciti, etsi christianorum res à Judæis omnino diversæ & privatim & publice haberentur: qua in re agebantur illi conscientiæ puritate, quod ab eorum cœtibus aberant impudicitiæ & crapulæ omnes, & de rebus novis molitiones. Ita christianorum conventus non adversabantur legum rationi, quæ ob metum factionum & comessationum collegia interdicebant. Quid quod primis sæculis christianorum Synodi si non expresso, saltem tacito Principum consensu & tolerantia habitæ sunt? Quamvis enim ea tum fuerit multorum Imperatorum & magistratuum in Ecclesiam & christianos sævitia, ut nullum omnino eorum conventum, ne in cœmeteriis quidem, haberi sinerent; tamen sæpe tempora quietis & pacis adfulgebant, quibus omnia exercitia christianæ religionis scientibus prudentibus magistratibus explicabantur; idque præsertim eo nomine, quod jam constabat, conventus christianorum nihil mali continere. Facta de christianis inquisitione Plinius II. Bithyniam regens, eorum mores puros & castos invenit; nihil ab iis impie, nihil adversus leges agitari, factoque fœdere se mutuo adstringere, ne scelera patrarent: qua de re ad Trajanum retulit (*d*). Si itaque minus placeat conscientiæ puritate & legum ratione tueri Concilia, quæ primis sæculis neglecto summæ potestatis assensu celebrata sunt; præsto erit tacitus Imperatorum & magistratuum consensus, qui christianæ religionis exercitia quietis tempore tolerabant: quod ipse Thomassinus non obscure fatetur (*e*).

Prin-

(*a*) Sueton. in Claudio cap. 26.
(*b*) Selden. de Synedr. lib. 1. cap. 8.
(*c*) Dion. in Domitiano.
(*d*) Plinius lib. 10 ep. XCVII., Tertullian. Apol. cap. 2.
(*e*) Thomass. de Concil. diss. III. n. 3.

Principes indicunt Concilia extraordinaria.

§. IV. Sed non tantum Synodis habendis venia civilis potestatis, sive tacita, sive expressa opus est; verum etiam, postquam christiani publica pace frui cœperunt, Concilia extraordinaria jussu Principum indicta sunt. *Passim in historia*, inquit Socrates (*a*), *Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeo maxima Concilia de eorundem sententia & convocata fuerunt, & adhuc convocantur.* Extraordinaria Concilia erant plenaria ex toto orbe, item plenaria Occidentis aut Orientis, & diœcesana, quæ ex pluribus provinciis inter se nexu civili adjunctis coalescebant; nec enim horum omnium Conciliorum celebratio statis temporibus erat addicta, sed potius pro Ecclesiarum necessitatibus haberi solebat. Succesu temporis diœcesanæ Orientis Synodi evaserunt patriarchales & ordinariæ, hoc est statis temporibus addictæ; atque adeo non amplius jussu Principis, sed Patriarchæ congregatæ sunt. At in diœcesibus Galliæ & Hispaniæ, quæ nullos receperunt Patriarchas, jussu Regum haberi perrexerunt (*b*). Fortasse indictio & congregatio non pertinet ad Concilii naturam & constitutionem, quæ in eo posita est, ut coacti Episcopi rite & recte de rebus ecclesiasticis judicent. Hinc quum extraordinaria Concilia, utpote majora, sine imperii & regnorum concussione, & magnis sumtibus vix haberi possent, eorum indicendorum curam Principes ad se revocarunt. Et hinc Episcopi, si quando ea necessaria reputarent, Principes adire debebant, quibus pro jure suo vota illorum rejicere licebat. Verum postquam nulla superstite principatus communione dissociatum est Occidentis imperium ab orientali, convocatio Conciliorum generalium ad Pontificem transiit, qua de re superius dictum est.

Principes Synodis extraordinariis præsident.

§. V. Porro Synodis à se indictis etiam Principes præsidebant, quod pluribus productis monumentis Thomassinus probat (*c*). Sane ipse Marcianus Imperator præfuit Concilio Chalcedonensi (*d*). Et VI. Synodo præfuit Constantinus Pogonatus, quod in ipso actorum vestibulo dicitur, & Leo Papa ad eundem scribens profitetur, *sancta & universalis VI. Synodus, quam nutu Dei studiose vestra clementia convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit.* Synodo VII. Irene Imperatrix cum filio, & VIII. Basilius Imperator præsede-

(*a*) Socrat. præf. lib. 5.
(*b*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 17. & seqq. & cap. 23.
(*c*) Thomass de Concil. diss. X. n. 14. & seqq.
(*d*) Conc. Chalced. in Relat. ad Leonem Papam ap. Harduin. tom. 2. col. 655.

derunt (*a*). In Conciliis Occidentis sæpe præsentes ipsi Reges adfuere, at raro iis præfuisse leguntur, & nisi necessitas urgeret. Ita Synodus Francofurtiensis habita est *præcipiente & præsidente Carolo M.*, ut habet epistola synodica ad Episcopos Hispaniæ, sed id factum videtur importunis Elipandi suspicionibus, qui Episcopos præsides, ut suspectos detrectabat, quod ex ipsa Caroli ad Elipandum epistola constat. Ergo in Occidente jus hoc regium oblanguit, hactenus ut Synodos generales ibi celebratas ferme sola Pontificis προεδρία moderata sit.

Sed tanquam exterioris ordinis & disciplinæ vindices.

§. VI. Verum enimvero jus hoc Imperatorum Conciliis à se indictis præsidendi longe distabat à προεδρία illa, quæ Antistitibus & Romano Pontifici competebat. Præfuit Imperator Conciliis velut Episcopus exterior, ut Ecclesiæ & Synodi defensor, seditionum propulsator, pacis & ordinis vindex. Præfuit autem summus Pontifex, ut episcopatus & fidei Princeps, ut apostolicæ cathedræ hæres, ut Episcopus interior & Petri successor. Ita in Synodis extraordinariis duplex erat προεδρία, interior una & episcopalis, quæ Conciliis inerat; altera exterior & civilis, quæ externum ornatum spectabat (*b*). Utriusque meminit Synodus Chalcedonensis in relatione ad Leonem Pontificem (*c*): *Tu vocis Sancti Petri constitutus interpres... Tu sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens: Imperatores vero fideles ad ornatum præerant: sicut Zorobabel & Jesus, Ecclesiæ, tanquam Hierosolymæ, ædificationem renovare circa dogmata enitentes.* Similiter Imperatoris in Concilio Chalcedonensi προεδρίαν ad interiorem Concilii compagem non spectasse ipse docet Marcianus Synodum adloquens (*d*): *nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, interesse Synodo voluimus.*

Principes Synodis rerum tractandarum ordinem dictant.

§. VII. Jure τῆς προεδρίας aucti Imperatores in Conciliis ordinem rerum tractandarum præscribebant, secundum quem Synodi actiones dirigi & haberi oportebat, quod pluribus Thomassinus & Petrus de Marca probant (*e*). Certe Theodosius junior ordinem præscribit, quo Synodus Ephesina negotia pertractaret, quod ex divalibus ad Cyrillum Alexandrinum & metropolitanos, itemque ex divalibus ad Synodum ipsam missis constat. Hinc statim in ipso Concili-

(*a*) Conc. VII. act. VIII., Conc. VIII. act. VII.
(*b*) Conf. Thomass de Conc. diss. X. n. 14. & seqq.
(*c*) Chalced. relat. ad Leonem ap. Harduin. tom. 2. col. 655.
(*d*) Conc. Chalced. act. IV.
(*e*) Thomass de Concil. diss. X. n. 19. & seqq., Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. cap. 3. n. 5. & seq.

cilii vestibulo Juvenalis Episcopus ait: *Legatur pium piissimorum Imperatorum edictum ad omnes metropolitanos destinatum, rebusque, quas nunc tractare incipimus, veluti fax præluceat.* Sequentes quoque Synodi generales ex ordine ab Imperatoribus dicto negotia tractarunt, at præscriptus ordo pro eorum arbitrio nunc strictior, nunc liberior fuit. In Occidente Clodoveus Rex etiam Synodo Aurelianensi I., quæ cæterorum forma & exemplar esse debet, ordinem præscripsisse videtur; in synodica enim epistola Patres tractant *de titulis* seu capitibus à Rege propositis, cujus judicio submittunt Canones per Synodum conditos. Ordini autem præscripto sic Synodi adhærebant, ut contra aut præter illum nihil facerent, ne mandati fines excessisse viderentur. Ita Synodus Constantinopolitana sub Menna damnato Antimo ex forma ordinis præscripti, noluit anathema & damnationem contra Antimi complices pronunciare, quia nihil ea de re Imperator edixerat (*a*). Nihil autem prærogativæ suffragii, qua utebantur in Synodis generalibus Romani Pontifices, aut libertati cæterorum Episcoporum impedimento erat series ista rerum tractandarum ab Imperatore præfixa; nam liberum erat omnibus, ubi ex ordine res proponebantur, sententiam dicere, & suffragium ferre.

Acta contra ordinem imperio Principis rescissa.

§. VIII. Quod si contra ordinem rerum tractandarum divalibus præscriptum Concilia procederent, integrum erat Principibus in irritum mittere, quæ ordine neglecto gesta erant, quod Petrus de Marca & Stephanus Baluzius docent (*b*). Et profecto Theodosius junior rescripto suo rescidit Synodi Ephesinæ acta omnia eo nomine, quod Concilium integrum non fuisset, & ab ordine in divalibus expresso Patres discessissent, præcepitque propterea, ut omnia ex integro discuterentur, atque ex communi omnium sententia regula fidei constitueretur. His litteris acceptis Synodus Ephesina de usurpata jurisdictione cum Imperatore non agit, sed conqueritur, à Candidiano, qui vice sacra Synodo præsederat, Principi obreptum fuisse, antequam synodica epistola in aulam pervenisset. Itaque Principem obsecrat, ut Candidianum una cum Episcopis quinque à Concilio delegandis evocet, qui ejus pietati comprobent omnia canonice fuisse peracta. Etenim Princeps judicabat, an ordo canonicus & legitimus in Synodo à Patribus retentus erat. Precibus Concilii inde excitus Princeps examen instituit, & ubi cognovit, Synodum canonice Nestorii causam discussisse, acta ejusdem statim edicto confirmavit. Sic vero Principes irrita facientes, quæ Synodi non servato ordine legitimo gessissent, potius Canones cus-

(*a*) Conc. CP. sub Menna act. IV.
(*b*) Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. cap. 3. n. 5. & seqq., Baluz. not. in citat. Marcæ locum.

custodiebant, quam jura Sacerdotum usurpabant; judicia enim ista Canonum custodia, quæ Principibus incumbit, continebantur, tantumque ipsa facta expendebant, nec juris quæstionem attentabant, quod constat ex ipso Theodosii rescripto, quo rescinduntur quidem, quæ ordine non servato per Synodum Ephesinam gesta essent; sed causæ principis cognitio ipsi Synodo integra relinquitur.

Magistratus ex delegatione Principis Synodis præsident.

§. IX. Ut vero jura τῆς προεδρίας sibi competentis Imperatores explicarent, ad Concilia mittere consueverunt præcipuos magistratus quorum propterea munus erat Synodi providere securitati, arcere subortos tumultus, & præesse servando ordini jam præscripto. Certe Constantinus M. ad Synodum Tyriam in causa Athanasii indictam misit Dionysium Comitem, ut *animadversor esset & custos conservandæ æquabilitatis & ordinis* (*a*). Et Theodosius junior retinendi ordinis curam in Synodo Ephesina Candidiano Comiti demandavit, sed angustioribus finibus ejus mandatum coercuit, nimirum ad arcendos tumultus Monachorum & Laicorum, mutuas Episcoporum contentiones impediendas, & suffragium cujusque liberum conservandum. Item Synodo Ephesinæ secundæ præfuit Elpidius Comes cum Theodosii mandatis amplioribus, nempe ut tranquillitate Episcopis conservata, cognitiones ἐν τάξει *ex ordine* instituerentur (*b*). Et in Concilio Chalcedonensi eminentissimi magistratus, quo quidque ordine gerendum sit, præscribunt. Magistratus isti à Principe delegati de ordine cognoscebant, eumque interlocutionibus integrum servabant; quæstiones eo spectantes decidebant, & præterea si quid ad civilem potestatem in synodalibus disceptationibus occurreret, cognoscebant. Hinc aliud fortasse agebat Benedictus XIV. dum scripsit, *gloriosissimos judices*, qui in actis Concilii Chalcedonensis occurrunt, ita dictos, non quod munus judicandi in Concilio haberent, sed quod ita extra Synodum honoris causa appellarentur (*c*).

Magistratus judiciis canonicis non intersunt.

§. X. Jam vero magistratuum in Synodis προεδρία nulla erat, ubi canonica contra Episcopos & Clericos judicia agitabantur. Qua regula Cecropius Episcopus in Concilio Chalcedonensi Dioscori exceptionem, qua iste criminalibus in se quæstionibus magnificentissimos judices adesse postulabat, explosit: *Quando regularia tractantur*, idest Episcoporum & Clericorum in regulas crimina, *neque judices, neque alios laicos adesse oportet* (*d*). Et Nicolaus I. Michaelem Impera-

(*a*) Epist. Constantini ap. Baron. an. 334. §. 2.
(*b*) Commonit. Elpidio datum act. I. Conc. Chalced.
(*c*) Bened. XIV. de Synodo diœces. lib. 3. cap. 9.
(*d*) Conc. Chalced. Act. VIII.

ratorem arguit, quod criminali in S. Ignatium Patriarcham judicio, & quidem numerosissima palatinorum, & populi turba stipatus, interfuisse (*a*). Præivit huic disciplinæ Constantinus Augustus, qui sibi oblatos ab Episcopis adversus Episcopos accusationum libellos, nec inspicere sustinuit, sed palam in ignem conjecit, sacrilegum esse dicens, terrenum Principem judicare de Episcopis, qui à Deo judices constituti sunt (*b*). Causa vero ea videtur fuisse, quod incongruum videretur laicos vitia propria Clericorum noscere, ne Clericis debita reverentia quidquam minueretur, quod Synodus octava œcumenica non obscure subindicat: *Neque enim fas est sæculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt* (*c*). Cæterum in Gallia etiam regularibus contra Clericos quæstionibus Principes interesse consueverunt.

Principes suspendunt Conciliorum decreta.

§. XI. Alio quoque jure Romani Imperatores in Synodos utebantur, quo earum sententias suspendebant, si ipsis videretur minus recte fuisse judicatum, quod Petrus de Marca & Stephanus Baluzius pluribus probant (*d*). Et profecto Leo M. cum Concilio Romano precibus egit apud Theodosium juniorem, ut executionem sententiæ à Synodo Ephesina secunda latæ suspenderet, usque dum œcumenicum Concilium congregaretur, idque eo nomine, quod nullo servato ordine, & per vim & minas Dioscori Alexandrini Patriarchæ, qui ex rescripto Principis præsidebat, Synodus illa judicasset. *Ecce ego christianissime & venerabilis Imperator, cum Consacerdotibus meis... obsecramus... ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe numerus Sacerdotum congregetur* (*e*). Justa erat petitio ista, at Princeps etsi pietate insignis, adduci non potuit, ut res semel in Concilio judicatas iterum refricari sineret; stetitque adeo in Oriente Latrocinium Ephesinum (sic enim Synodus Ephesina secunda audit) usque ad Marcianum, qui auctore Leone indixit Concilium Chalcedonense, & acta Latrocinii Ephesini rescidit. Profert quoque illustrissimus Archiepiscopus in eandem sententiam ejusdem Theodosii divalem, qua indicto Concilio Ephesino executionem sententiæ à Synodis Romana & Alexandrina adversus Nestorium decretæ suspendit, ne præjudicium aliquod Concilio œcumenico crearetur. Verum quidem est, vetuisse Principem indicto Ephesi Concilio, *ne quidquam in nulla prorsus re privatim à quoquam innovetur* (*f*); at plane vereor, ut divalis illa spectarit etiam Romanæ & Alexandrinæ Synodi sententias; nam Synodus Ephesina indicta est antequam Conciliorum illorum decreta Nestorio, atque adeo ipsi Theodosio, innotuissent, quod Joannes Garnerius probat (*a*): cujus argumenta etiam post Baluzii exceptiones viribus constant.

(*a*) Epist. VIII. ad Michael. Aug.
(*b*) Rufin. lib 1. Hist.
(*c*) Conc. VIII. Can. XVII.
(*d*) Petr. de Marca de C. S & I. lib. 4. cap. 4., Baluz. not. in cit. Marcæ locum.
(*e*) Leo M. ep. XL. edit. Quesn.
(*f*) Epist. Theodor. part. 1. Conc. Ephes. cap. 32.

Principes decreta Conciliorum confirmant.

§. XII. Regiæ quoque potestatis est, decreta Conciliorum, sive ad fidem, sive ad disciplinam spectent, confirmare: quod optimi quique Principes Constantinus M., ambo Theodosii, Marcianus, Justinianus aliique fecerunt (*b*), idque ipsis Synodis exorantibus. Ita Patres Concilii œcumenici secundi in epistola synodica ad Theodosium M. profitentur, se ex officio teneri ad relationem eorum, quæ in Synodo gesta erant, Principi mittendam; statimque addunt hæreses à se damnatas fuisse, ac porro quasdam regulas pro Ecclesiæ disciplina constituenda decretas, quæ omnia firmari à Principe obnixe petunt: *Rogamus itaque tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum; ut sicuti litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum, quæ secuta sunt, obsignes* (*c*). Et Concilium Ephesinum Theodosium juniorem obsecrat, ne pro Synodo habeat Joannis Antiocheni Episcopi conventiculum, qui à sacro Concilio decedens, sententiam adversus Cyrillum & Memnonem tulerat, Concilii vero œcumenici decretum adversus Nestorium confirmet: *Jubeatis ut ea, quæ constituta sunt ab œcumenica & sancta Synodo ad pietatis confirmationem contra Nestorium, & ejus impium dogma, suum robur obtineant, consensu vestræ pietatis constabilita* (*d*).

Sed prævia causæ cognitione.

§. XIII. Verum enimvero non sine prævia causæ cognitione synodalia decreta à Principibus confirmari consueverunt, licet inquisitio diverso modo procederet, prout de fide & judiciis canonicis, vel de disciplina ageretur. Decreta fidei & canonica judicia extraordinaria disquisitione expendebantur, tantum ut innotesceret, an Synodi in hoc rerum genere ordine canonico servato cognovissent; de fide enim disquirere & canonicis delictis tantum Episcoporum est. *Quum illa decreta*, fidei nempe, inquit Petrus de Marca (*e*), *Principes confirmabant, non res judicatas iterum tractabant, sed de consensu Episcoporum & suffragiorum libertate ad summam cogni-*

(*a*) Garner. part. 2. oper. Marii Mercator. pag. 82.
(*b*) Conf. Thomass. de Conc. diss. X. n. 26. & seqq. & Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 2. cap. 10.
(*c*) Conc Constantinop. I. ep. synod. ad Theodos.
(*d*) Conc. Ephes. act. V.
(*e*) Petr. de Marca loc. cit. n. 9.

nitione extrajudiciali, inquirebant. Ita Theodosius junior decreta Synodi Ephesinæ confirmavit, ubi ipsi constitit ordine canonico Nestorii causam fuisse discussam. Et longe ante Constantinus M. Synodum Tyriam in qua Athanasius inique damnatus erat, examini subjicere testatus est, ut de perverso judiciorum ordine cognosceret (*a*). Contra Canones exterioris disciplinæ, quibus ritus sacramentales non continentur, maturo examine discussos Principes confirmarunt; hujusmodi enim Canones res civiles sæpe tangunt, & aliquando etiam novam disciplinæ exterioris formam constituunt, quæ publicæ tranquillitati, & receptis moribus adversatur.

Principes disciplinæ exterioris Canones limitant.

§. XIV. Jam vero disciplinæ exterioris à Synodis editos Canones, dum Princeps confirmabant, limitationes & modificationes quasdam addere solebant, in iis præsertim capitibus, quæ vim auctoritatis regiæ & jurisdictionis sæcularis infringebant, quod constat ex celebri edicto Clotarii Regis, quo multa capita Concilii Parisiensis V. ad Regis jura & temporalem jurisdictionem spectantia in novam formam redacta sunt (*b*). Id vero fecit Clotarius non per vim, sed ex sententia & consilio Episcoporum & optimatum regni, ut ex ipsius edicti verbis constat. Quin ipsæ Synodi dum editos Canones Principibus confirmandos offerebant, eos rogabant, ut quæ minus recta viderentur, emendarent. Ita Concilium Moguntinum anno DCCCXIII. petit à Carolo M., Canonum editorum confirmationem & emendationem: *Et quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare* (*c*). Et Synodus Cabillonensis II. eodem anno habita Canones à se editos offerens eidem Carolo ad confirmationem, ita præfatur *quatenus ejus prudente examine, ea quæ rationabiliter decrevimus, confirmetur; sicubi minus aliquid egimus, illius sapientia suppleatur* (*d*). Præter Clotarii non extant edicta alia, quibus occidentales Principes Synodos confirmarunt; at id factum, quod sufficere sæpe crederent, si eas verbo confirmarent, earumque executionem permitterent; & fortasse etiam, quod intererat ecclesiasticorum ea edicta non conservari: ut disciplinæ status potius ex Canonibus, quam ex edictis Principum cognosceretur.

Confirmatione Principis vis civilis Conciliis accedit.

§. XV. Regia autem confirmatione fidei decreta & Canones vim civilem & publicam nanciscuntur, & in nomo-canonem abeunt, quatenus ecclesiastica & civili potestate nituntur. *Sancimus, vicem legum*

(*a*) Ap. Athanas. apol. 2.
(*b*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 6. cap. 22. n. 7.
(*c*) Conc. Mogunt. in præfat. ad Carolum M.
(*d*) Conc. Cabillon. in præf. ad eund.

gum obtinere, inquit Justinianus (*a*), *sanctos ecclesiasticos Canones, qui à sanctis quatuor Conciliis expositi sunt, & confirmati.* Hinc qui in Canones per leges confirmatos impingebant duplici crimine peccare censebantur, quod ecclesiasticam & civilem læderent potestatem, atque adeo duplici pœna, & ecclesiastica & civili puniebantur, quod idem Justinianus expressit (*b*). *Neque civiles leges crimen* (contra Canones nempe legibus confirmatos) *inultum relinquent, eo quod à præcedentibus nos Imperatoribus & à nobis ipsis recte dictum est, oportere sacras regulas pro legibus valere.* Qua legum vi Canonibus communicata credebant Principes, se magis obstringi ad sacras regulas, quam ad leges custodiandas (*c*). Quin tanta Principis erat auctoritas, ut Canones disciplinæ exterioris legibus confirmati suis viribus starent, etsi illos Romani Pontifices non admitterent: quod constat exemplo Canonis XXVIII. Chalcedonensis, qui auctoritate Imperatoris constitit, etsi à Leone M. rejectus fuerit, quod Liberatus observat, *licet Sedes apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo* (*d*).

Quo jure potestas Principum in Synodos nititur.

§. XVI. Quæ quum ita sint, satis profecto ampla erat regia in Synodos potestas, nam si excipias de fide quæstiones & decreta, item judicia canonica, & disciplinæ interioris constitutionem, quæ ad Episcopos pertinebant, reliqua ferme omnia ab arbitrio & potestate Principum pendebant. Et hinc merito observavit Socrates, negotia ecclesiastica ferme Imperatorum arbitrio processisse, ex quo isti christianam religionem amplexi sunt (*e*). Hæc vero Principum in Synodos potestas non erat sacerdotalis (illi nimirum jure clavium destituuntur), sed potius civilis & regia, qua armati ad religionis & Ecclesiæ defensionem adstringuntur (*f*), eoque nomine Deo rationem reddere tenentur (*g*). Et cur Principes & magistratus in rebus fidei sententiam non dicebant? Et cur judiciis canonicis non intererant? Quod nempe sacerdotio non initiati de ipsis rebus sacris judicare vetarentur. Ipse Imperator Marcianus professus est, se non jure Sacerdotis Synodo Chalcedonensi interfuisse, sed potius, ut Episcopus exterior, ut Ecclesiæ & fidei defensor. *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, interesse Synodo voluimus* (*h*). Hinc ubi Principes Synodis præsidebant, ubi rerum tractanda-

(*a*) Novel. CXXXI.
(*b*) Novel. VI. cap. 1. §. 8.
(*c*) Novel. CXXXVII.
(*d*) Liberat. Breviar. cap. 13.
(*e*) Socrat. lib. 5. in præfat.
(*f*) Conf. dicta in prolegom. cap. 3.
(*g*) Can. XX. c. 24. q. 5.
(*h*) Conc. Chalc. act. VI.

darum ordinem dictabant, ubi de eo servato, vel neglecto cognoscebant, ubi eas confirmabant, suspendebant, aut rejiciebant, sacra non attentabant; sed religioni inserviebant, inermique Ecclesiæ viribus imperii præbebant auxilium: idque clarius apparebit, si concedatur, Concilii naturam in eo positam esse, ut Episcopi in unum collecti rite de rebus ecclesiasticis tractent, & decernant; indictionem vero, rerum tractandarium seriem, judicium de ordine servato, & confirmationem exteriora esse, nec necessario Ecclesiæ auctoritate niti.

Quo sensu Imperatores dicti pontifices.

§. XVII. Summa itaque cautione accipiendæ sunt acclamationes illæ in antiquis Conciliis, quibus Imperatoribus sacerdotium adseritur. Ut ecce in Concilio Constantinopolitano sub Flavio Theodosio acclamatum est: *Orthodoxo, pio Imperatori, Pontifici Imperatori* (*a*). Et in Concilio Chalcedonensi Marciano itidem acclamatur: *Sacerdoti, Imperatori multos annos, Ecclesias tu erexisti hostium victor, doctor fidei.* Item in hac eadem Synodo lecta est epistola Agapiti Rhodi Episcopi ad Leonem Imperatorem hæc habens: *Vere namque Sacerdos & natura Imperator existis* (*b*). Nimirum hæc & hujus generis alia imperio sacerdotium adgnatum demonstrant: at sacerdotium hoc longe distabat à Christi sacerdotio, quod per manuum impositionem communicatur. Erant christiani Imperatores, & nunc etiam sunt Reges, Episcopi & Sacerdotes exteriores, quippe qui pro jure suo Ecclesiæ opitulari tenentur, & religioni consulere, sed quatenus Reges sunt, quatenus imperio pollent, & publicæ ultionis terrore efficere possunt, quod inermis Ecclesia doctrina & charitate consequi non valet (*c*). Origo autem hujus sacerdotii imperio adgnati à Constantino M. repetenda videtur, qui se tanquam Episcopum exteriorem gloriabatur; refert enim Eusebius (*d*), eum tanquam *communem Episcopum* Synodos indixisse, iisdem interfuisse, cum Episcopis tractasse, & communem procurasse concordiam. Et si christiani Imperatores usque ad Gratianum *Pontifices maximi* etiam audierunt, titulus iste ad ethnicam superstitionem spectabat, eumque coacti fortasse christiani Principes retinuerunt, quod ad regendam rempublicam religio illa necessaria videretur (*e*).

Regia potestas in Synodos decrevit.

§. XVIII. Tanta Principum potestas in Synodos præsertim jussu regio indictas sensim in Occidente decrevit, ubi dissociata prorsus

(*a*) Conc. Constantinop. act. VII. in act. I. Conc. Chalced.
(*b*) Conc. Chalced. act. IV.
(*c*) Conf. Thomass. de Conc. diss. XII. n. 40. & seqq.
(*d*) Euseb. lib. 1. de vit. Constant. c. 37.
(*e*) Conf. Gravina de Rom. imperio cap. 7.

sus imperii communione, Occidentis regiones, quæ adhuc Græco imperio parebant, Græcorum Imperatorum principatum excusserunt, & domesticos Imperatores cœperunt habere, quod sub Carolo M. primum factum est. Nimirum ab hoc tempore maximopere crevit Pontificis Romani, etiam in res civiles, potestas, adeo ut ipsi Reges Pontifici etiam in rebus civilibus subesse crederentur. Hinc nefarium visum est Principes Conciliis præesse, seriem rerum tractandarum præscribere, magistratus ordini servando adesse, Principes sententias in Synodis latas suspendere, & earum acta & decreta in irritum mittere. Et si Sigismundus Imperator sessioni XIV. Concilii Constantiensis præfuerit, momento pene temporis Imperator dignitatem illam occupavit, & quidem extraordinaria & inusitatissima causa, quod Gregorius XII. unus ex contendentibus Pontificibus, non alias, quam in manibus Sigismundi pontificatum deponere voluerit. Quin Principum in Synodos potestas ætate posteriori adeo oblanguit, ut Romani Pontifices à Conciliis provincialibus ipsos regios legatos vellent exclusos. Sane sacra Congregatio decreta Concilii Toletani anno MDLXXXII. habiti præsente regio legato probare detrectavit, nisi prius legati nomen ex actis expungeretur (*a*). Hinc Romani Pontifices cœperunt Synodos generales in Occidente coactas moderari, & munia illa exercere, quæ in veteri disciplina Principes eorumque magistratus exercebant. Et quod spectat reliquas Occidentis Synodos, Romani Pontifices eas missis legatis ferme per omnia suo arbitrio subjecerunt.

Hodiernus usus regiæ potestatis in Synodos.

§. XIX. Per Occidentem oblanguit quidem regia in Synodos potestas, at non per omnia defecit; nullum enim hodie Concilium forte potest celebrari, nisi Principes consentiant: nec iisdem denegatur magistratus delegare, qui Synodis intersint, nihil obstantibus Romanæ congregationis decisionibus. Item Conciliorum decreta non publicantur, & in usum deducuntur, nisi ex Principis concessione, quæ prævia cognitione, & additis limitationibus solet impertiri, aut omnino denegari. Sane ipsa Tridentina Synodus, quod spectat disciplinam, in Gallia publicata non est, impediente regia potestate, quod multa contineret vetustis moribus, juribus regiis & Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus adversa (*b*). Contra in Hispania & Belgio, & in regno Apuliæ Synodi illius publicationem prævio examine Philippus II. concessit, at ea moderatione, ut nullius usus essent, quæ regia jura & vasallorum læderent; quæ limitatio quamvis ipsi publicationi addita non sit (placuit enim Regi in proponendo populis Concilio nihil quidquam excipi); tamen Principis ea mens

(*a*) Conf. Bened. XIV. de Syn. diœces. lib. 3. c. 9. n. 6.
(*b*) Conf. Petr. de Marca de C. S. & I. lib. 2. c. 17. n. 6.

mens & sententia fuit, Concilii decreta juribus regiis & provinciarum legibus & moribus cedere debere (*a*). Hinc in regnis catholici Regis passim à magistratibus & regiis censoribus adnotata capita, quæ ex Regis sententia admissa & probata non erant. Ea capita, apud nos regens Villanus recensuit (*b*), qui tamen aliqua omisit, cujus generis illud videtur, quo nullæ redduntur renuntiationes, aut obligationes candidatorum vitæ monasticæ, nisi intra duos menses proximos ante professionem cum Episcopi, vel ejus Vicarii venia fiant (*c*). Non est Ecclesiæ, sed civilis potestatis modum contractibus & obligationibus addere. Cæterum ex sententia Regis non tantum adnotata capita, sed generaliter quæ regiis juribus adversa erant, admissa non censentur; etsi non adnotatis capitibus per usum auctoritas conciliata videatur.

CAPUT XV.

De judicibus ordinariis.

Judex generaliter definitur.

§. I. Nomine judicis passim venire solet vir bonus ad lites dirimendas publica auctoritate constitutus. Comprehendit definitio ista judices omnes, qui in legibus Romanis occurrunt, tam qui cum jurisdictione & imperio, tam qui nuda notione sine jurisdictione funguntur (*d*). Nimirum generali vocis usu etiam magistratus, qui imperio & jurisdictione præditi sunt, judices jure Romano dicuntur: qua generali notione *majores judices* apud Paulum sunt ipsi magistratus (*e*). Sed plerumque magistratus & judices separantur, & magistratus quidem dicti, qui jurisdictioni & tribunali præsunt, & jus dicunt: judices vero, qui nudam notionem tantum habent, atque adeo cognoscunt & sententiam ferunt in causa, ubi à magistratu judices dati sunt, non item sententiam exsequuntur: & hi *judices dati* & *speciales judices* & *pedanei* & *delegati* promiscue appellantur (*f*). Hæc ex regulis juris antiqui; at ubi per Diocletiani legem magistratus ipsi judicare jussi sunt, nisi publicis occupationibus, aut causarum mole impedirentur (*g*), dandorum judicum usus oblanguit, & judex & jurisdictio æque late patere cœperunt, ipsique judices & magistratus promiscue audierunt: quo spectat titulus C. *de Ju-*

(*a*) Conf. appendix ad hist. Conc. Trident. Sarpi ad calcem ejusdem hist. edit. an. 1757.
(*b*) Conf. Jannon. Hist. civil. lib. 23. c. 3.
(*c*) Trid. sess. XXV. de Regul. cap. 16.
(*d*) Conf. Cujac. in l. 2. D. de Judic.
(*e*) L. 32. §. 7. D. de Recep. qui arbitr.
(*f*) Conf. Huber. prælect. part. 2. 4. tit. 17.
(*g*) L. 2. C. de Pedan. judicib.

risdictione omnium judicum. Quod vero dictum, judicem esse virum bonum, id intelligendum ex legum sententia, quæ viros bonos judiciis præficiendos edicunt, etsi (quæ est misera hominum conditio) sæpe minus boni judicis officio fungantur.

Quis judex ordinarius.

§. II. Judices jure decretalium alii sunt ordinarii, alii delegati, extatque de utroque judicum genere duplex in decretalibus titulus, unus *de officio judicis delegati*, alter *de officio judicis ordinarii*. Desumpta videtur partitio ista ab jure Romano, quo jurisdictio in propriam seu ordinariam, & mandatam dividitur. Judices ordinarii jure civili ut plurimum vocantur præsides provinciarum, qui ex ordine clarissimorum eliguntur, & quidem ex infimo ordine clarissimorum ad differentiam spectabilium & illustrium, ex quibus proconsules, præfecti prætorio, comites Orientis, præfecti urbi deligebantur, qui dignitate & ordine præcedebant ordinarios, ut Cujacius tradit (*a*). At jure decretalium ampliori sensu dicuntur judices ordinarii, omnes nempe, qui vi sui officii & quasi propriam jurisdictionem obtinent. Id autem duplici ratione contigit, nam alii non ex speciali delegatione seu commisione; sed vi suæ ordinationis aut dignitatis jurisdictione augentur, & tales judices quasi nascuntur, quales Episcopi, Metropolitani, summus Pontifex; alii vero habent quidem jurisdictionem vi officii, quod certa & perpetua lege, vel moribus constitutum est, at ipsum officium ex alieno beneficio competit, quales in republica sunt magistratus, in Ecclesia legati Pontificis. Jurisdictio ordinaria, quæ non ex alieno beneficio competit, sed ordinationem aut dignitatem consequitur, alicui sine justa causa & citra juris ordinem adimi non potest, immo nec restringi; adhæret scilicet ipsi dignitati, quæ perpetua & individua est. Cæterum licet omnes, qui in diœcesi perpetua jurisdictione augentur, dici queant judices ordinarii, tamen ordinarii nomine Episcopus venire solet.

Olim ipsi Episcopi in presbyterio judicabant.

§. III. Multis sane sæculis penes unum Episcopum stetit judicandi potestas, atque adeo ipse causas discutiebat & judicabat. Verum ex veteris disciplinæ regulis ut plurimum ad causas judicandas cogebatur presbyterium seu senatus ecclesiasticus. *Judicio*, inquiunt sic dictæ constitutiones apostolicæ (*b*), *assistant & Presbyteri, qui citra acceptionem personarum, tanquam homines Dei, juste judicent*. Conveniebant autem in presbyterium Presbyteri & Diaconi civitatis, factaque corona Epsicopus in medio & sublimi throno sedebat, ad utrum-

(*a*) Cujacius in Paratit. C. de Offic. rector. provinciæ, & in novell. XX.
(*b*) Const. apost. lib. 2. c. 47.

utrumque latus in sedibus depressioribus sedebant Presbyteri, adstabant vero Diaconi, veluti turba ministra (*a*). Itaque summus presbyterii moderator erat Episcopus, partem sollicitudinis Presbyteri habebant, atque adeo judicabant, Diaconi vero ministrabant non judicabant: sedere enim debebant judices, quum causis & cognitionibus vacabant. Et si in multis vetustatis monumentis dicatur, Diaconos quin & Clericos omnes in tractandis negotiis partem habuisse, id factum videtur indulgentia & œconomia, qua Ecclesia pro varia temporum ratione disciplinam moderatur. Quod si causæ majoris momenti inciderent, Episcopus non tantum clerum civitatis, sed etiam totius parœciæ cogebat, atque ita plenius evadebat auditorium, quod *Synodum diœcesanam* hodie dicunt.

Archidiaconi & Decani evadunt judices ordinarii.

§. IV. Verum labentibus annis à rebus spiritualibus multum Episcopi distracti, vel in amplioribus Ecclesiis copia negotiorum obruti, non amplius in presbyterio causas tractarunt, sed eas committere cœperunt Archipresbyteris, Decanis ruralibus, præsertim vero Archidiaconis; idque tum magis frequentatum est, ubi jurisdictio ecclesiastica causas civiles laicorum occupavit, & Ecclesiæ fœudis & latifundiis auctæ sunt. Initio vicaria erat Archidiaconis & Decanis commissa jurisdictio, non enim jure officii, sed delegationibus competebat. At lapsu temporis assiduis delegationibus, Episcoporum absentia & oscitantia, quæ erat vicaria jurisdictio, in ordinariam convaluit, & Archidiaconi & Decani judices ordinarii evaserunt, qui pro jure suo cognoscerent & judicarent; qui mores sæculo XIII. jam recepti erant (*b*). Sane respondit Innocentius IV. ab Archidiaconis aliisque inferioribus Prælatis, qui Episcopo subjecti erant, appellandum esse ad ipsos Episcopos, non ad metropolitanum (*c*): quod demonstrat auditorium Archidiaconi aliorumque inferiorum Prælatorum ordinarium fuisse; nam si vicarium esset, potius ad metropolitanum, quam ad Episcopum appellari debuisset. Cæterum Archidiaconis & Decanis competens jurisdictio, utpote quæ moribus accesserat, non eadem ubique fuit: idque ratum fixumque erat Honorio III., dum rescripsit Archidiacono Senonensi, nihil aliud licere jurisdictionis & auctoritatis in monasteria exercere, quam constiterit decessores ejus *de pacifica sic obtenta consuetudine* exercuisse (*d*).

Archidiaconi & Decani ferme desueta jurisdictio.

§. V. Ordinaria jurisdictione aucti Archidiaconi & Decani labenti-

(*a*) Greg. Nazianz somn. de Eccl. Anastasiæ, Hieronym. ep. LXXXVII. ad Evagr.
(*b*) Conf. dicta part. I. c. 16. §. 9., & c. 17. §. 12.
(*c*) Cap. 3. de Appellat. in 6.
(*d*) Cap. 10. ext. de Off. Archid.

tibus annis contumaces in Episcopos esse cœperunt, & ad coacervandas opes solliciti. Hinc tandem exciti Episcopi paulatim jurisdictionem vindicarunt suam, decrevitque adeo Archidiaconorum & Decanorum ordinaria jurisdictio: cui Episcoporum consilio Concilia vires addiderunt, quæ variis decretis inferiorum Prælatorum coarctarunt jurisdictionem. Et quidem Synodus Tridentina cavet, ut causæ matrimoniales & criminales non per Decanos & Archidiaconos, sed tantum per Episcopos cognoscantur & judicentur (*a*). Quo decreto & beneficiarias & majores omnes causas contineri interpretes tradunt (*b*). Item eadem Synodus statuit, ut Clerici concubinatus rei non ab Archidiaconis, aut Decanis, sed ab Episcopis puniantur (*c*). Et quod spectat jus visitandi Ecclesias, quod Archidiaconis & Decanis competebat, edixit, ut illi Ecclesias, ubi hactenus visitationem jure exercere consueverunt, deinceps per se ipsos, & assumpto notario de consensu Episcopi perlustrent (*d*). Ita sensim decrevit ordinaria Archidiaconorum & Decanorum jurisdictio, paucique hodie sunt, qui pristinæ jurisdictionis vestigia retinent.

CAPUT XVI.

De Vicario generali.

Episcopi Vicarius generalis describitur.

§. I. Nomine Vicarii generatim venit, qui in aliquo munere alterius vicem sustinet: atque adeo Vicariorum tot sunt species, quot officia alterius opera impleri possunt. In specie vero Episcopi Vicarius generalis, qui alias *Officialis* dici solet, ille est, qui vice Episcopi contentiosæ ac voluntariæ jurisdictioni præest. Moribus Italiæ nullum discrimen est inter Vicarium generalem & Officialem, nam unus idemque & contentiosam & voluntariam Episcopi jurisdictionem procurat: quos mores expressit Synodus Tridentina, dum Officialem & Vicarium confundit (*e*). At in Belgio aliisque transalpinis Ecclesiis Vicarius generalis ab Officiali distat. Officialis nimirum tantum contentiosæ jurisdictioni præest: Vicarius vero tantum voluntariam jurisdictionem exercet, & hinc limites suæ jurisdictionis excederet, si servata judicii forma partes coram se venire juberet, aut alios judiciales actus explicaret (*f*). *Vi-*

(*a*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 20.
(*b*) Conf. Barbosa collect. 6.
(*c*) Trid. sess. XXV. de Reform. cap. 14.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 3.
(*e*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 16.
(*f*) Conf. Espen. part. I. tit. 12. cap. 4. & seq.

Vicarii generales in nova disciplina instituti.

§. II. In veteri disciplina Archidiaconi, ubi adhuc vice Episcopi negotiis ecclesiasticis præerant, Vicarii generalis loco videntur fuisse. At postquam Archidiaconi & Diaconi auditoria sua fecerunt ordinaria, & contumacia elati in ipsos Episcopos insurgere cœperunt, Episcopi paulatim jurisdictionem revocarunt suam, atque adeo novos instituerunt Officiales, quibus illam mandarent, non tamen in perpetuum, sed quousque ipsis mandantibus placeret. Hic mos sæculo XII. cœpit: Petrus enim Blesensis de Officialibus tanquam in Gallia receptis loquitur (*a*). Generatim vero usus constituendorum Vicariorum videtur invaluisse post Concilium IV. Lateranensem, ubi Innocentius III. Episcopos hortatur, ut si negotia omnia per se expedire nequeant, eligant Presbyteros, qui eorum vice fungantur. Hinc nihil mirum, si nec in decreto Gratiani, nec in Gregoriana decretalium compilatione Vicariorum generalium extent vestigia (*b*). Tantum in sexto decretalium distinctius proponitur Vicarii officium: quando enim ferme omnium Episcoporum usu Vicarii constitui cœperant, oportunum visum est, ejus officium explicare. Cæterum necessitate quadam adacti videntur Episcopi ad Vicarios constituendos; jam enim ecclesiastica auditoria tricis forensibus perstrepebant, nec decebat Episcopos fori cavillationibus implicari.

Institutio Vicariorum viris bonis displicuit.

§. III. Nova hæc disciplina, quæ administrandæ episcopali jurisdictioni Officiales, seu Vicarios generales præficit, ipso initio viris bonis & prudentibus minus placuit: fortasse propter abusiones, quæ tum in fora ecclesiastica irrepserant. Scilicet judicia ecclesiastica in turpem quæstum versa erant, & causæ ecclesiasticæ non amplius ex bono & æquo finiebantur, sed tricis forensibus erant involutæ. Petrus Blesensis sæculi XII. scriptor in litteris ad Officialem Episcopi Carnotensis vivis coloribus depingit, quanto fastidio simplicitatis pristinæ cultores tum exortos Officiales exceperint (*c*). Principio testatur Officiales quam maxime studere ad opes Episcopis parandas. *Tota Officialis intentio est, ut ad opus Episcopi suæ jurisdictioni commissas miserrimas oves quasi vice illius tondeat, emungat & excoriet. Isti enim sunt Episcopi sanguisugæ, evomentes alienum sanguinem, quem biberunt.* Item à fori versutiis depingit Officiales, quasi qui ad perdendam justitiam instituti essent. *Officium Officialium, quorum te numero agregasti, hodie est jura confundere, suscitare lites, tractationes rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fove-*

(*a*) Petr. Blesens. ep XXV.
(*b*) Conf. Thomass. part. 1. lib. 2. cap. 7.
(*c*) Petr. Blesens. ep. XXV.

vere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias concinnare. His aliisque causis veluti Ecclesiæ graves Blesensis Officiales depingit, & non illepida allusione eorum nomen interpretatur: *credo hujusmodi Officiales non ab* officio *nomine, sed ab* officio *verbo mutuasse vocabulum.* Vereor certe, ne deinceps & hac nostra ætate plerique Vicarii ex officio quæstum fecerint, faciantve, & causas superfluis tricis & dilationibus foveant.

Vicarius generalis præest ordinariæ Episcopi jurisdictioni.

§. IV. Constituitur Vicarius generalis auctoritate Episcopi, qua alicubi sub generali officii commissione mandatur episcopalis jurisdictio in foro explicanda; ubi enim in assiduum abiit usum, ut Episcopi alterius ministerio jurisdictionem exercerent, sensim quoque emersit Vicarii officium, quod peculiarii titulo in sexto decretalium explicatur. Ita constitutus Vicarius ordinariam Episcopi jurisdictionem administrat, atque adeo Episcopi & Vicarii unum censentur auditorium (*a*). Hinc causæ Episcopo reservatæ etiam per Vicarium cognosci & judicari possunt, nisi nominatim exprimatur, Episcopum per se de causa cognoscere & judicare debere. Inde etiam est, quod à Vicario in causis generalis commissionis non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum appellandum sit (*b*): quando enim Episcopus & Vicarius unam audientiam constituunt, quî fieri potest ut à Vicario ad Episcopum appelletur? Interim non vetatur Episcopus, illud ipsum Vicarii officium restringere, & aliqua officio comprehensa sibi reservare, aut ad certos actus, locum, aut tempus Vicarium constituere, quibus casibus fines commissionis servandi sunt.

Licet Episcopo plures Vicarios creare.

§. V. Liberum vero est Episcopo non modo unum, sed & plures eodem tempore Vicarios generales creare, quin plurium constitutio aliquando videtur necessaria, veluti si duas simul junctas Episcopus regat diœceses, vel unam Latinis simul & Græcis christianis mistam. Etenim in causis Italo-Græcorum, quibus tantum Episcopus Latinus præest, Vicarius Græcus ipsis Græcis non invisus & eorum salario sustentandus constitui debet (*c*). Sed ubi Episcopus pro arbitrio plures Vicarios constituit, id Ecclesiæ bono faciendum est, non lucri cupiditate: injuria enim ad corradendas opes & ad vexandos subditos pluribus Officialibus Episcopus uteretur. Et merito olim Galliæ proceres coram Philippo Valesio etiam hoc nomine de Episcopis conquesti sunt, quod plures Officiales uni diœcesi ad vexandos subditos & emungendam pecuniam ob-

(*a*) Conf. Espen. part. 3. tit. 5. cap. 1.
(*b*) Cap. 3 de Appellat in 6.
(*c*) Benedict. XIV. bull. *Etsi pastoralis* 57. §. 9. n. 21. tit. 1. Bullar.

obtruderent. Diversa interim ratione Episcopus plures Vicarios creat, nam vel diœcesim ipsam in minores regiones partitur & singulis Vicarium præficit, vel ipsam jurisdictionem partitur, & uni voluntariam, alii contentiosam demandat, vel uni spiritualia, alii temporalia committit. Cæterum in Gallia & Belgio non licet Episcopis duos pluresve Officiales constituere, nisi diœcesis ultra provinciæ fines extendatur, quo casu singulis provinciis auditorium dari oportet (*a*).

Quæ denegantur Vicario sine speciali mandato.

§. VI. Quamvis vero Vicarius generalis ordinariæ Episcopi jurisdictioni præsit, multa tamen sunt, quæ generali officio non continentur, eaque facere vetatur, nisi ex speciali concessione; generali enim mandato haud illa veniunt quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus (*b*). Ita vi generalis mandati Vicarius generalis non exercet, quæ ordinis potestatem spectant, qualia sunt chrisma conficere, Ecclesias & altaria consecrare, aut pollutis sanctitatem restituere (*c*). Nec litteras dimissorias ad ordines concedit, nisi Episcopus in longinquis regionibus diu moretur (*d*). Item sine speciali mandato criminales causas non cognoscit (*e*), nec matrimoniales (*f*), nec quaslibet alias soli Episcopo delegatas. Præterea nec beneficia confert (*g*), nec eis permutandis, conjungendis & fundandis assensum impertitur. Non visitat diœcesim, nec Synodum cogit (*h*): vetatur etiam collegium Canonicorum indicere; eique interesse, aut præsidere (*i*). Mandato quoque generali non continetur absolutio à casibus Episcopo reservatis (*k*), nec relaxatio irregularitatum, quæ ex occulto crimine proveniunt (*l*). Ad hæc Metropolitani Vicarius generalis in provincia aut non longe ab illa Archiepiscopo existente suffraganeos non suspendit aut interdicit, excommunicatve; idque ob reverentiam pastoralis officii ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi statutum est (*m*). Hæc ferme sunt quæ Vicarii officio inesse non censentur, atque adeo ad ea explicanda speciali mandato opus est: quod si datum fuisse dubitetur, id antequam aliquid geratur, ostendi oportet, talem enim se quisque debet ostendere, qualem se dicit.

Vi-

(*a*) Conf. Espen. l. cit.
(*b*) Cap. 3. de Off. Vic. in 6.
(*c*) Conf. Sbroz. de Vic. Episc. lib 2. q. 5.
(*d*) Cap. 3. de Temporib. ordinat. in 6.
(*e*) Cap. 2. de Off. Vic. in 6.
(*f*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 20.
(*g*) Cit. cap. 3. in 6.
(*h*) Conf. Alteserra de Jurisdict. eccles. lib. 7. cap. 5.
(*i*) Trid. sess. XXV. de Reform. cap. 6.
(*k*) Cap. 2. de Pœnitentiis & remiss. in 6.
(*l*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 6.
(*m*) Cap. 1. de Off. ordin. in 6.

Vicarius aliquam dignitatem videtur habere.

§. VII. Jam vero Vicarius generalis jure communi aliquam dignitatem habere videtur; quandoquidem ei rescriptis apostolicis causæ committi possunt (*a*): quæ ex Bonifacii VIII. constitutione nonnisi Canonicis cathedralis Ecclesiæ, aut aliis in dignitate constitutis debent demandari (*b*). Et quoniam jure decretalium dignitas non tantum jurisdictione, verum etiam honoris prærogativa censetur, hinc Vicarius generalis in Synodis, processionibus & choro omnes Canonicos præcedit, assidetque vel in consueta fixaque, vel mobili sede, nisi Canonicus etiam sit, velitque quotidianas distributiones lucrari; in hoc enim casu in stallo suo veste Canonicis communi inter eos sedere & procedere debet. Hæc vero dignitas officio Vicarii adhærens nec ut beneficium, nec proprie in titulum possidetur, quo differt ab Archidiaconi, Decani & similibus dignitatibus, & cum alia dignitate recte retinetur (*c*), & cum ipso Vicarii officio finitur.

Jurisdictio Vicarii ordinaria censetur.

§. VIII. Utrum Vicarii generalis jurisdictio ordinaria, an potius delegata sit, non una est omnium sententia. Sed magis est esse ordinariam, quatenus jure officii per legem seu Canonem probati exercetur, seu quod lege perpetua ad instar regulæ constituta & efformata est. Et profecto Vicarius constituitur ad universitatem causarum, nec habet jurisdictionem ab Episcopo, sed à lege seu Canone, Episcopi tamen facto & ministerio, & semel constitutus jurisdictionem tuetur veluti ab lege seu Canone datam, ut Alteserra recte observat (*d*). Nec quod Vicarius pro Episcopi arbitrio potest revocari, id facit, ne ejus jurisdictio ordinaria censeatur; nam quid prohibet, officia ordinario jure ad tempus aut pro arbitrio mutabilia constitui? Ipsi legati Pontificis ordinaria jurisdictione potiuntur, & tamen pro arbitrio Pontificis privantur legatione. Habet vero Vicarius ordinariam jurisdictionem in his, quæ veniunt ex generali mandato, delegatam vero in his, quæ speciali commissione indigent. Quod si ordinariam jurisdictionem eo sensu intelligas, quæ jure consecrationis, aut perpetuæ dignitatis competit, procul dubio Vicarius alterius jurisdictionem exercet.

Qui in Vicarios assumendi.

§. IX. Eligi autem debent in Vicarios viri idonei, & in utroque ju-

(*a*) Clement. II. de Rescript.
(*b*) Cap. 11. de Rescript. in 6.
(*c*) Conf. Laurenius de Vicar. tract. I. cap. 1. q. 61., & Sbroz. de Off. Vicar. lib. 1. q. 25., & Rebuf. in Praxi de Vicariis Episcoporum n. 4. & 7.
(*d*) Conf. Alteserra de Jurisdict. lib. 7. cap. 5.

jure, saltem canonico, versati, qui ab omni avaritia sunt alieni, & amore justitiæ & pacis inter fideles conciliandæ officium exerceant; qui litium tricas & forenses strepitus aversentur, nec iis nisi coacti & amore justitiæ inducti se implicari sinant. Certe minus convenit ei, qui vices Episcopi sustinet, ex officio quæstum facere, & lites superfluis tricis & dilationibus fovere. Porro ordinibus ecclesiasticis, saltem prima tonsura, debet esse initiatus, qui ad Vicarii munus eligitur; absurdum enim est, laicos in Ecclesia judicare, & pœnas ecclesiasticas & censuras infligere. Item ne Vicarii ullis sanguinis aut necessitudinum vinculis in explicando officio in transversum agantur, potius exteri, quam illius diœcesis, ubi officium exercent, constitui debent, quod S. Carolus edixit, passimque receptum est (*a*). Nec eligi in Vicarios debent regulares ex ordine mendicantium (*b*), Clerici conjugati, digamique (*c*), minores annis viginti quinque, consanguinei Episcopi, item Parochi, Canonici pœnitentiarii, licet exteri, & quotquot animarum curam habent.

Quibus modis finitur Vicarii officium.

§. X. Vicarius semel constitutus titulo perpetuo officium non exercet, sed pluribus modis esse desinit. Et quidem certi juris est, Vicarii potestatem expirare mortuo Episcopo, vel alias episcopatu abeunte seu jurisdictione privato; Vicarius enim ordinariam Episcopi potestatem exercet, atque adeo illa desinente, nullum est Vicarii auditorium. Vicarius quoque officio abit per Episcopi revocationem; constitutio enim Vicarii etsi ordinariam jurisdictionem elargiatur, tamen nudum mandatum est, quod nuda voluntate pro mandantis arbitrio revocatur (*d*): quin mandatum hoc illud peculiare habet, quod etiam rebus non integris recte solvatur. Constat enim judicium solvi vetante eo, qui majus imperium in ea jurisdictione habet (*e*). Ubi vero contingit, Vicarium ab Episcopo sua potestate exui, revocatio evulganda est, & ipsi Vicario denuntianda, alias interim gesta viribus constant, etsi revocatio illi innotescat, & alias publice nota sit: quod post Rebuffum, Boerium aliosque Garzias (*f*) docet. Revocatio Vicarii pro arbitrio ferme in omnibus provinciis usu obtinet, etiam in Gallia, ubi explosa est Feuretii sententia, quæ habet, Officialem non posse revocari, nisi ex causa & causa cognita. Demum Vicarius esse desinit, si ipse officio renunciaverit.

De

(*a*) Conc. Mediol. V. part. 3 tit. de Episcopo & episc. jurisd.
(*b*) Clement. I. de Regularib.
(*c*) Conf. Barbosa lib. 1. de Jure eccles. cap. 15.
(*d*) Alteserra de Jurisd. lib 7. cap. 5.
(*e*) L. 58. D. de Judic.
(*f*) Garzias de Benef. part. 5. cap. 8.

De Vicariis foraneis.

§. XI. Præter Vicarium generalem, qui toti præest diœcesi, alii ab Episcopis in singulis parœciæ oppidis creari solent peculiares Vicarii, *foranei*, dicti ut ex commissione jus dicant in quibusdam levioris momenti negotiis, & jurisdictionem exerceant ad certos duntaxat actus restrictam. Veteribus moribus nulli erant Vicarii foranei, vices enim Episcopi per diœcesim Chorepiscopi, Archidiaconi & Decani rurales sustinebant. Sed ubi Chorepiscopi esse desierunt, & Archidiaconorum & Decanorum ferme concidit potestas, Episcopi non contenti unius Vicarii generalis constitutione, etiam speciales inspectores per diœcesim constituere cœperunt; quæ disciplina sæculo XIV. jam recepta erat; aperte enim Clemens V. de Vicariis foraneis tanquam receptis loquitur, eosque à *principali officio* distinguit (*a*). Pro Episcopi arbitrio negotia Vicariis foraneis demandantur; at in regno Apuliæ iisdem veluti perpetua lege datur, ut in suis regionibus veniam concedant magistratui, qui reos ab asylo abstrahere intendit; item ut arma receptis in asylum adimant implorato, si opus fuerit, brachio sæculari, vel ea adimendi ipsi magistratui veniam concedant; & porro veniam concedunt, ut res furtivæ, & regiis vectigalibus obnoxiæ (vulgo *contrabanna*) aliæve à contumacibus aliisve in fisci fraudem abditæ perquirantur in locis immunibus, præterquam in claustris monialium aliisque feminarum receptaculis (*b*). Cæterum à sententia Vicarii foranei ad ipsum Episcopum appellatur: quæ est communis sententia.

CAPUT XVII.

De Judicibus delegatis.

Descriptio judicis delegati.

§. I. Ordinario judici opponitur delegatus, qui jurisdictionem non proprio jure, sed alterius mandato & beneficio exercet; atque adeo nihil proprii habet, sed ejus, qui mandavit, vice fungitur. Sic ab interpretibus decretalium judex delegatus describitur, qui tamen in jure Romano judex, cui mandata est jurisdictio passim audit, etsi delegata jurisdictio apud Ulpianum occurrat (*c*). Sunt vero mandatarii jurisdictionis vel universales, vel particulares, quatenus universa jurisdictio, vel species una, seu pars jurisdictionis, veluti in certas personas, aut certa causarum genera, aut in quandam

(*a*) Clement. II. de Rescript.
(*b*) Concord. cap. 2. n. 1. 24. & 25.
(*c*) L. 1. D. de Damno infecto.

dam specialem causam mandatur. Nimirum poterat jurisdictio vel in totum, vel pro parte mandari (*a*), quin in unam speciem seu causam, quod postremum tum præsertim fieri potuisse, docet Ulpianus, si justa ratio subesset (*b*). Si universa jurisdictio mandetur, omnia, quæ jure magistratus competunt, translata censentur, non item quæ speciali legis beneficio conceduntur: si pars tantum mandata sit, quatenus mandatum est, transit. Cæterum jurisdictionis mandatarii proprie magistratus non sunt; quamvis enim juri dicundo præsint, tamen id non proprio nomine, sed alterius vice exercent.

Judices dati & mandatarii jurisdictionis differunt.

§. II. Multum vero distat ex regulis Romani juris judices, quibus mandata est jurisdictio, & judices pedanei, qui alias *dati & delegati* jure civili etiam dicuntur. Judices dati judicabant in causis præsertim facti, & nudam notionem, quæ causæ cognitionem & sententiæ dictionem complectebatur, habebant, non item jurisdictionem, qua à se dictam sententiam exequi possent. Numero causarum Romæ obruti magistratus, ipsi per se omnia expendere non poterant: hinc placuit, certum numerum judicum seligere, ex quibus magistratus in singulas facti controversi causas unum daret, qui secundum formulam judicaret, hoc est, cognosceret, & sententiam diceret, non item judicatum exequeretur (*c*). Pedanei dicebantur judices isti, quod judicabant non pro tribunali, sed in subselliis & quasi ad pedes prætoris, eorumque officium publicum erat, quod semel in judicum numerum cooptati, si inde judices darentur, injectum onus sine justa causa excutere vetabantur (*d*). Hinc constat, in multis datos judices à mandatariis jurisdictionis differre: illi enim jurisdictionem non habebant, nec judicem dabant (*e*); isti vero jurisdictioni præerant, & judicem dare poterant (*f*); datio enim judicis jurisdictionis effectus est (*g*). Præterea à sententia judicis pedanei ad dantem appellabatur; contra à mandatariis jurisdictionis non provocatur qui mandavit, sed qui à mandante ipso provocaretur (*h*). Verum si qui judices à Principe dentur ad certas causas, hi jurisdictionem potius, quam notionem habere videntur, & à se dictas sententias exequuntur (*i*), quin & alios judices dare possunt (*k*).

Qui

(*a*) L. 16. & seq. D. de Jurisdict.
(*b*) Cit. l. 17.
(*c*) Conf. Gerard. Nood. de Imperio & jurisdict. lib. 1. cap. 8. & 13.
(*d*) Conf. Heinec. Antiq. lib. 4. tit. 17. §. 3.
(*e*) L. 5. & 15. D. de Re judic., l. 5. C. de Judiciis.
(*f*) L. 12. §. 1. D. de Judic.
(*g*) L. 1. D de Jurisdict.
(*h*) L. 1. D. Quis à quo appell., l. 21. §. 1. D. de Appellat.
(*i*) L. 5 C. de Fructib. & litium expensis.
(*k*) L. 5. C. eod.

Qui jurisdictionem mandare possunt.

§. III. Jus delegandæ jurisdictionis iis præcipue competit, qui constituendi creandique magistratus potestatem habent, à quibus jurisdictio tanquam à proprio fonte dimanant; itemque ipsis magistratibus, quorum propria jurisdictio est. Hinc certi juris est, Episcopos, Metropolitanos, Patriarchas, summum Pontificem jurisdictionem mandare posse suam, idque omni tempore in Ecclesia obtinuit, nec enim unus Episcopus toto pastorali officio explicando sufficiebat. *Si quis contra quemlibet Clericum causam habuerit*, inquit Gregorius M. (*a*), *Episcopum ipsius adeat, ut ipse cognoscat, aut certe ab eo judices deputentur.* Nemo unus ignorat, olim Pontifices jurisdictionem patriarchalem illustrissimarum civitatum Episcopis demandasse, qui initio fuerunt mandatarii jurisdictionis, quamvis temporis lapsu ordinarii evaserint (*b*). Item ipsi Archidiaconi & Decani postquam ordinaria jurisdictione aucti sunt, eam suis Officialibus mandarunt. Cæterum moribus præsentibus delegati pontificii frequentiores sunt, reliquorum vero judicum ecclesiasticorum ferme desierunt, quod Espenius observat (*c*): & Vicarii generales tantum quosdam actus, puta testium examen, non jurisdictionem delegant.

Pontificii delegati in causas particulares quando cœperunt.

§. IV. Delegati pontificii ferme dantur ad decidendas causas singulares, quæ ex regulis novæ disciplinæ in Romanam curiam magno numero confluebant. Nimirum post sæculum X. ex omnibus Occidentis provinciis causæ ad Sedem Apostolicam per appellationes devolutæ sunt; ipsa Sedes Apostolica veluti ordinarius judex omnium exemptorum ab episcopali potestate haberi cœpit, & porro ingens esse cœpit causarum numerus, quæ primo judicio apud Pontificem, qui ordinarius in universa Ecclesia judex putabatur, agitari poterant. Tot causis discutiendis Romana curia impar erat, immo nec Romæ ob locorum distantiam, à quibus probationes peti debebant, facile instrui poterant. Ergo necesse fuit causas judicibus in partibus delegare, qui iis judicandis & finiendis vice Pontificis præessent: quæ disciplina sæculo XII. antiquior non videtur, supponit enim causas Ecclesiarum Occidentis etiam minimas sive per appellationem, sive primo judicio in Romanam curiam devolvi. Et recte observatum Espenio in Gregorii IX. compilatione non reperiri decretalem, quæ de judicibus delegatis agat, antiquiorem Alexandro III., qui sub finem sæculi XII. pontificatum

ges-

(*a*) Can. XXIX. c. 11. q. 1.
(*b*) Conf. dicta part. 1. cap. 13. §. 6.
(*c*) Conf. Espen. part. 3. tit. 5. cap. 2.

gessit (*a*); manifesto indicio ignotos fuisse veteribus Patribus delegatos pontificios, qui causas Ecclesiarum Occidentis in partibus cognoscerent. Sic mutata rerum facie Romanorum Pontificum multa prodierunt responsa, quibus potestas judicum delegatorum explicatur, & difficultates & dubia proposita resolvuntur: qua in re Pontifices sapiunt ex jure civili ejusque glossatoribus, & subinde etiam contra ipsum jus civile statuunt.

Delegati Pontificis plenam habent jurisdictionem.

§. V. Jam vero judices à summo Pontifice delegati plena donantur jurisdictione; à se enim delegatos judices iisdem prærogativis Pontifices auxerunt, quibus à Principe judices delegati jure civili utebantur. Hinc habent assessores, & in causa delegata judicem dant, etiam Episcopos. Coercitione quoque utuntur & pœnas irrogant, ut ea, quæ ad causam faciunt, expediant, quod ex certis regulis constitutum, ne jurisdictio delegati lusoria & nullius momenti sit: cui enim jurisdictio semel data est, ei etiam concessa intelliguntur, sine quibus illa explicari non potest. *Ex eo enim*, inquit Alexander III. (*b*), *quod causa cuidam committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* Utuntur vero delegati Pontificis coercitione & pœnarum irrogatione non solum adversus litigantes, sed etiam adversus quoslibet impedientes delegationis executionem (*c*): qua quidem in re tanta prærogativa pollent, ut etiam in Episcopos pœnas infligere queant, modo in coercitione modum servent, & dignitati deferant (*d*): delegatus enim Pontificis in causa sibi commissa majorem ordinario habet jurisdictionem. Item delegati Pontificis, utpote plena jurisdictione instructi, sententiam exequuntur suam, & hoc amplius retinent per integrum annum potestatem (*e*), quo facilius eam executioni mandent. Solent vero delegati executionem sententiæ ordinariis mandare, qui eis obtemperare tenentur, etiamsi dicant, sententiam esse injustam; executor enim, exceptis paucis speciebus, causæ cognitionem non habet (*f*).

Eamque sive totam sive pro parte possunt subdelegare.

§. VI. Sed non tantum judices à summo Pontifice delegati in causis sibi commissis judicem dare possunt; verum etiam sibi mandatam jurisdictionem sive in totum, sive pro parte alteri mandare, quod *subdelegare* passim dicunt, nisi personæ qualitas electa fuerit (*g*). Ju-

(*a*) Espen. loc. cit.
(*b*) Cap. 4. ext. de Off. delegat.
(*c*) Cap. 5. ext. eod.
(*d*) Cap. 11. ext. eod., & cap. 2. eod. in 6.
(*e*) Cap. 26. ext. eod.
(*f*) Conf. Franc. Florens in tit. de Off. deleg.
(*g*) Cap. ult. ext. de Off. deleg.

Jure civili à Principe judex delegatus tantum judicem in causa, qua datus erat, dare poterat (*a*); non item sibi mandatam jurisdictionem, ne pro parte quidem, alteri mandare, puta litis contestationem, causæ instructionem, aut sententiam. Tantum magistratibus urbanis, qui ex mandato Principis judicarent, licebat peculiares litium examinationes suis assessoribus committere, idque licere voluit Justinianus (*b*), quod sæpe contingebat, eos negotiis publicis implicari. At Pontifices non contenti à se delegatos judices dare judicem posse exemplo eorum, qui codicillis Principum judicabant; id etiam amplificandæ potestatis suæ contra regulas juris civilis statuerunt, judicibus à se delegatis licere alteri mandare jurisdictionem, sive universam, sive partem, veluti litis contestationem, causæ instructionem, aut sententiæ prolationem. Novi istius juris delineatio Alexandro III. debetur (*c*), perfectio Innocentio III., qui nihil moratus Justiniani novellam constitutionem, generatim licere voluit judicibus à Sede Apostolica delegatis & universam jurisdictionem & ejus partem alteri mandare (*d*). Ita judices à Pontifice delegati distant à delegatis Principum, qui etsi judicem dabant, non tamen mandabant jurisdictionem. Licet vero judicibus, qui ex mandato Pontificis judicant, alteri vices suas mandare, etiamsi nullo impedimento detineantur; utut enim Alexander III. justi impedimenti mentionem injiciat (*e*), tamen id spectat, quod frequentius accidit, non quod tantum ex impedimento mandare possint, quod Gonzalez docet (*f*).

Quibus à Pontifice causæ delegandæ.

§. VII. Jure decretalium judices à summo Pontifice delegati nullis specialibus qualitatibus aucti esse debebant, atque adeo etiam simplicibus Clericis pontificia jurisdictio mandabatur: quod dignitati Sedis Apostolicæ parum conveniebat. Ergo Bonifacius VIII. statuit, ut tantum dignitate aut personatu præditis, aut Ecclesiæ cathedralis Canonicis causæ ab Apostolica Sede ejusve nuntiis delegari possint (*g*). Ut vero, qui minus idonei essent, à judicandi munere arcerentur, (nec enim Sedes Apostolica de singulorum prudentia & peritia cognitionem poterat habere) statuerunt Tridentini Patres, ut in Synodo provinciali aut diœcesana designentur aliquot personæ, quæ habeant qualitates per Bonifacium expressas, & alias idonei sint, quibus tantum locorumque ordinariis & præterea nemi-

(*a*) L. 5. C. de Judiciis.
(*b*) Novel. LX. Conf. Franc. Florens com. ad tit. de Off. judic. deleg.
(*c*) Cap. 18 ext. eod.
(*d*) Cap. 27. ext. eod.
(*e*) Cap. 3. ext. eod.
(*f*) Gonzalez in cit. cap. 3. n. 12. & seq.
(*g*) Cap. 11. de Rescript. in 6.

mini Sedes Apostolica ejusque legati causas judicandas committant (*a*). Atque hi sunt judices sic dicti *synodales*, quod in Synodo designandi sunt, quorum saltem quatuor in singulis diœcesibus esse debent, electorumque nomina ad Sedem Apostolicam transmittenda sunt. Designatio synodalis irritam cassamque fecit Alexandri III. decretalem, quæ id edicebat, successorem dignitatis etiam succedere in delegatam jurisdictionem, quæ sub nomine dignitatis, non vero personæ nominatim expressæ facta est (*b*): non enim sufficit dignitatem in Ecclesia habere, ut quis pontificius delegatus esse possit, sed præterea requiritur synodalis designatio. Quod si ipsi judices synodales jam ad causas delegati velint vices suas alteri committere, non alios quam judices synodales eligere possunt; nec enim ipsi delegati ipso mandante melioris conditionis habendi sunt, modo integra causæ cognitio à delegato committatur (*c*). Cæterum quod Synodi hodie admodum raro celebrantur, Episcopi ex venia sacræ Congregationis extra Synodum; sed cum consensu capituli, judices designant (*d*).

Quibus in locis constituendi pontificii delegati.

§. VIII. Quemadmodum vero primitus Pontifices non ex certis Clericis tenebantur judices delegatos eligere, ita etiam in quibusvis locis eos constituebant, adeo ut ipsi litigantes coram eis, etiam in locis remotioribus, se sistere cogerentur. At Innocentius III. in Concilio generali commodo litigantium & judiciorum facilitati consuluit, statuit enim *ne quis ultra duas dietas extra suam diœcesim per litteras apostolicas ad judicium trahi possit* (*e*). *Dieta*, seu iter unius diei, jure civili continet viginti milliaria (*f*); at in hac causa potius locorum mores inspiciendos glossator docet, & dierum itinera peculiaribus moribus æstimanda. Verum deinceps Bonifacius VIII. novam huic juri formam dedit, voluit enim, ut si actor & reus sint ejusdem civitatis aut diœcesis, extra ipsas causa non committatur, nisi ab Episcopo contra aliquem suæ diœcesis, vel ab aliquo contra Episcopum, aut contra ejus capitulum, seu contra loci universitatem actio instituenda sit, vel nisi actor eandem civitatem vel diœcesim ingredi non audeat, aut sui adversarii potentiam merito perhorrescat: in quibus casibus permittit extra civitatem vel diœcesim judicem delegari, sed non ultra iter unius diei à diœcesis finibus computandum. Et si actor & reus sint diversarum diœcesium, voluit, ut causa committatur in rei diœcesi, vel in

(*a*) Trid. sess. XXV. de Reform. cap. 10.
(*b*) Cap. 14. ext. de Offic. deleg.
(*c*) Conf. Uvesmesius in Analysi ad constitut. 1.
(*d*) Conf. Bened. XIV. de Syn. diocœs. lib. 4. cap. 7. n. 5. & 7.
(*e*) Cap. 28. ext. de Rescript.
(*f*) L. 3. D. de V. S.

in alia actoris non propria, modo locus judicis delegati non absit ultra iter unius diei à diœcesis rei finibus (*a*).

An causæ à Pontifice necessario extra curiam delegandæ?

§. IX. Quamvis causæ in diœcesi, ubi exortæ sunt, aut non ultra iter unius diei per Sedem Apostolicam sive ejus legatos committi debeant; non tamen jure decretalium vetitum est, de iisdem ipsa Romana curia judicium institui. At in Gallia, Belgio, Hispania causæ pontificiæ cognitionis necessario per judices in provinciis delegatos tractandæ & finiendæ sunt, etiamsi de appellationibus cognoscendum sit; in his enim regionibus non sinunt recepti mores, aut populis concessa privilegia, ut civium causæ extra provinciam aut regnum pertractentur (*b*), præstoque est regia potestas ad emendandam abusionem, si quis citetur, ut extra provinciam aut regnum se sistat (*c*). Itaque decretalis Bonifacii, quæ habet, in diœcesi, aut non ultra iter unius diei judices in causis dari debere, ea moderatione servatur, modo judicia in provincia aut regno instituantur. Minus disciplinæ veteris regulis congruum visum est, causas longe à locis, ubi exortæ erant, pertractari; & permittendum non erat, cives litium causa patriæ finibus egredi, aut saltem opes suas in judicii locum transmittere. Sed in Italia causæ extra Romanam curiam committi necesse non est ac proinde pro arbitrio Pontificis delegati judices dantur, exceptis causis Episcoporum criminalibus, quæ depositione aut degradatione dignæ sunt; hæ enim tantum ab ipso Pontifice judicari debent, tantumque metropolitis aut Episcopis causæ & facti instructio potest demandari, ut Tridentini Patres habent (*d*): quæ eadem disciplina in causis Sanctorum obtinet.

Unus aut plures in unam causam delegati.

§. X. Mos fuit summorum Pontificum ad causas decidendas & unum, & plures, certos tamen, judices dare. Et plures quidem vel simpliciter nulla adjecta clausula, qua mandatum modificaretur, vel definite certis adjectis clausulis, quæ procedendi modum constituerent. Ubi plures simpliciter delegati constituti sunt, conjunctim dati censentur, nec unus sine altero recte procedit (*e*), nisi unus alteri delegato vel alii vices suas commiserit (*f*). Sed si pluribus definite & adjectis clausulis causa commissa sit, interest, utrum clau-

(*a*) Cap. 11. de Rescript. in 6.
(*b*) Conf. Espen. part. 3 tit. 5. cap. 3.
(*c*) Rebuf. ad Concordata tit. de Causis, Salgado de Supplicat. ad sanctiss. part. 2. cap. 11. n. 83.
(*d*) Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 5.
(*e*) Cap. 16. & 22. de Off. deleg.
(*f*) Cap. 6. ext. eod.

clausula sit conditionalis, veluti, *si non omnes interesse velint, aut possint, reliqui in negotio procedant*, an absoluta, *ut omnes, aut duo, vel unus sine altero procedat*: quas aliasve consimiles clausulas, ut facilius lites discepta rentur, sæpe Pontifices rescriptis suis addere solebant. Priore casu uno impedito, quod vel non possit, vel nolit judicio interesse, reliquis pro jure suo exequi mandatum licet (*a*), modo per litteras constet de alterius impotentia vel voluntate. Altero, quilibet ex delegatis, etiam cæteris non expectatis, procedere potest; censentur namque omnes & singuli in solidum delegati, & inde cuique mandatum exequi licet, ita tamen ut si qui mandatum primus occupavit, postea progredi impediatur, vel noluerit, reliqui causam continuare queant (*b*). Sic vero per unum mandato occupato, & lite contestata vetantur reliqui se intromittere, aut subdelegare, nisi adjectum in mandato sit, quod prævenientis conditio melior non efficiatur (*c*).

Delegatus mandati fines servare tenetur.

§. XI. Quoniam vero delegatus non proprio jure, sed alterius mandato judex sedet, ante omnia de mandato constare debet, eoque suscepto ad causam procedere potest; & quo partibus ejus auctoritas innotescat, citationi ipsum delegationis exemplum inseri necesse est, alias citatus non tenetur comparere. Causam inde cogniturus, mandati fines servare tenetur (*d*): atque hinc delegatio ultra expressas personas vel articulos produci non potest, nisi communi partium præsentium consensu, nec enim sufficit per procuratorem consentire (*e*): & si semel ex rescripto se jurisdictionem non habere pronunciaverit, non poterit, ne partium quidem consensu, amplius judicare (*f*). Hoc ipso tamen haud vetatur delegatus de connexis cognoscere, aliaque peragere, sine quibus delegatio ad exitum deduci nequit. Ita ad instantiam actoris delegatus etiam de reconventione cognoscet, utpote sine qua causa conventionis peragi nequit, quamvis in mandato ejus mentio nulla existat (*g*). Item si delegationis rescripto obreptionis aut subreptionis vitium objiciatur, de eo etiam delegatus cognoscet (*h*); antequam enim ad causam procedat, constare oportet, an ipsi competat jurisdictio, quæ non aliter mandata censetur, quam si preces veritate nitantur. Et si dolo aut fraude alterius partis fiat, quominus in

(*a*) Cap. 13. ext de Rescript.
(*b*) Cap. 8. de Off. deleg. in 6.
(*c*) Cap. 6. de Procur. in 6.
(*d*) Cap. 13. 15. 21. & 37. ext. de Off. deleg., cap. 22. ext. de Rescript.
(*e*) Cap. 32. ext. de Off. deleg.
(*f*) Cap. 38. ext. eod.
(*g*) Cap. 1. ext. de Mutuis petitionib.
(*h*) Cit. cap. 38.

in locum litteris rescripti expressum, & tuto partes secure convenire queant, delegatus locum idoneum eligere poterit (*a*).

Delegati judicis recusatio.

§. XII. Licet vero judicem delegatum, qui merito suspectus est, recusare, puta si sit dominus impetrantis, aut ejus propinquus, aut advocatus fuerit in eodem negotio, vel sit familiaris, aut officialis alterius partis. Solent causæ recusationis opponi ante contestationem: possunt tamen etiam postea, si de novo emergant (*b*); & quidem libello, qui ipsi delegato judici offerri debet. Recusationis autem causa varie cognoscitur; nam si contra unum ex duobus ab Apostolica Sede delegatis suspicionis causa proponatur, siquidem illa clausula apposita sit, *quod si ambo interesse non possunt, alter in causa procedat*, coram non recusato judice expedienda erit. Ubi vero non est dicta clausula in rescripto, arbitros eligere oportet, qui de ipsa recusatione cognoscent, quod Gregorius IX. statuit (*c*). Qua quidem in re discessit summus Pontifex ab jure civili, quo statuitur, ut recusato judice per Principem delegato necessitas litigantibus imponatur, arbitros eligendi, non ad causam recusationis, sed ad ipsum principale negotium pertractandum (*d*): quod etiam servandum Imperator jubet, si vel maxime ab inferiore judice delegati recusentur. Electis arbitris intra certum tempus debet causa recusationis probari: quo termino si causa non probetur, jurisdictione sua utetur delegatus (*e*); dicta vero sententia ad Pontificem licet appellare. Quod si delegatus Episcopi recusetur, recusationis causa coram Episcopo probanda erit, licet coram ipso, qui recusatur allegari debeat (*f*).

Quis appellatur à judicibus delegatis.

§. XIII. Jam à sententia per judicem delegatum dicta licet provocare; appellatio enim jure conceditur non minus si judex jure proprio, quam si ex alterius delegatione procedit. Et quidem à delegatis Pontificis ad ipsum Pontificem provocatur (*g*); quod juris civilis principiis convenit (*h*). Quod si Pontificis delegatus alteri vices suas commiserit, interest, utrum totam jurisdictionem mandaverit, an quandam litis partem, sibi sententia vel alia parte reservata. Illo casu etiam ad ipsum Pontificem provocatur (*i*), hoc vero non ad

(*a*) Cap. 13. ext. de Off. deleg. in 6.
(*b*) Cap. 25. ext. de Off. deleg., cap. 4. ext. de Exceptionib.
(*c*) Cap. 39. ext. de Off. deleg., cap. 4. eod. in 6.
(*d*) L. 16. C. de Judiciis.
(*e*) Cap. 61. ext. de Appellat.
(*f*) Cit. cap. 4.
(*g*) Cap. 11. de Off. deleg. in 6.
(*h*) Conf. Gonzalez in cap. 27. ext. eod.
(*i*) Cap. 3. eod. in 6.

ad Pontificem, sed ad delegatum, qui mandavit (*a*), idque ea ratione, quod subdelegati partiales cum judicibus pedaneis videntur convenire, à quibus ad eum, qui dedit, provocatur; nisi delegatus, qui dedit mortuus sit, aliasve impeditus, quo minus de appellatione cognoscere queat (*b*). At à sententia judicis, cui ab ordinariis mandata est jurisdictio, non appellatur qui mandavit, sed qui à mandante ipso provocaretur (*c*). Appellatur vero à sententia judicis per summum Pontificem delegati, etiamsi in litteris appellatio rejiciatur; formula enim illa in delegationibus Pontificum solemnis, *remota appellatione*, *sublato appellationis effugio*, non necessarias & gravibus causis innixas, sed tantum moratorias appellationes, quæ jure decretalium admittebantur, excludit, quod Franc. Florens pluribus docet (*d*).

Quibus modis finitur judicis delegati officium.

§. XIV. Pluribus vero modis finitur judicum delegatorum officium. In primis finitur morte delegantis re adhuc integra (*e*), nam lite jam cœpta delegatorum jurisdictio evadit perpetua: res vero desinit esse integra per citationem, quod Urbanus III. statuit (*f*), & hinc abrogata est Lucii III. decretalis, qua per litis contestationem res esse integra desinebat (*g*). Porro finitur delegati morte, nec enim delegatio ad hæredes transit. Desinit quoque delegati officium finito negotio, & si quidem delegatio ad totam causam facta est, sententiæ executione (*h*): quod tantum locum habet in delegatis à Pontifice, qui insuper per annum integrum retinent jurisdictionem post sententiam excommunicationis prolatam adversus contumaces, qui latæ sententiæ non obtemperant (*i*): nam si judex ab ordinariis, puta Episcopo, delegatus est, sententiæ prolatione ejus officium desinit, quod Franc. Florens docet (*k*). Temporis quoque lapsu, quo delegatio inclusa est, desinit officium delegati, nisi communi partium consensu prorogetur (*l*): item revocatione, quæ Principi deleganti semper permissa est (*m*); delegatis vero pontificiis, qui vices suas in totum aliis commiserunt re non integra tantum conceditur revocare mandatum, si revocandi

(*a*) Cap. 26. ext. eod., cap 7. eod. in 6.
(*b*) Cap. 10. eod. in 6.
(*c*) L. 1. D. Quis à quo appelletur.
(*d*) Florens in cit. tit. de Offic. delegati.
(*e*) Cap. 30 ext. de Offic. deleg., cap. 6. eod. in 6.
(*f*) Cap. 20. ext. eod.
(*g*) Cap. 19. ext. eod.
(*h*) Cap. 9. ext. eod.
(*i*) Cap. 26. ext. eod.
(*k*) Franc. Florens in tit. de Offic. deleg.
(*l*) Cap. 4. ext. eod.
(*m*) Cap. 28. §. 2. ext. eod.

di pro arbitrio sibi potestatem reservarint (*a*); & demum recusatione proposita & admissa (*b*).

De delegatione vi Canonis competente.

§. XV. Præter pontificias delegationes, quæ expresso mandato nituntur, datur etiam delegatio vi ipsa Canonis sine speciali commissione, qualem delegatam potestatem exercent Episcopi in pluribus casibus, quos nova disciplina Pontifici addixit. Multiplicatis exemptionibus ab Episcopi potestate plura incommoda in rem ecclesiasticam irrepserunt, & præterea Episcopi de propria jurisdictione deminuta conquesti sunt, eamque suæ integritati restitui pluries postularunt. Hinc speciosum juris eurema excogitatum est, quo salvis exemptionibus episcopalis jurisdictio locum haberet; statutum nempe, ut Episcopi in casibus Pontifici reservatis tanquam Sedis Apostolicæ delegati procederent. Hæc nova delegatæ jurisdictionis species præsertim in Concilio Tridentino consecrata est (*c*). Magnis animis adnitebantur meliores Episcopi ad abolendas vel minuendas Monachorum exemptiones, at contra stabant, qui curiæ Romanæ novitates integras cupiebant. Præsto fuit inter hæc contraria studia Sebastianus Pighinus, unus ex Rotæ Romanæ auditoribus, qui salutarem formulam suggessit, ut *Episcopi tanquam Apostolicæ Sedis delegati* Abbates cessantes atque inertes cogerent ad instituendam in monasteriis sacræ Scripturæ lectionem (*d*). Ita primum utrique parti satisfactum, deinceps vero in similibus casibus etiam salvis exemptionibus delegata jurisdictio Episcopis concessa. Cæterum in his casibus appellationes ab Episcopis ad summum Pontificem instituuntur; Vicarii generales vi generalis mandati non procedunt, & demum vacante sede hæc delegata jurisdictio ad capitulum non devolvitur.

Olim Principes dabant judices in causis ecclesiasticis.

§. XVI. Hæc de judicibus delegatis ex novæ disciplinæ regulis: at ad pernoscendam antiquitatem addere oportet, consuevisse olim Romanos Imperatores à Sacerdotibus interpellatos rescriptis suis dare judices, Clericos tamen, qui in causis ecclesiasticis judicarent. Certe Constantinus M. à Donatistis interpellatus in causa Cæciliani, qui per summam injuriam à septuaginta Episcopis Donati schismate infectis damnatus, Ecclesiam retinebat, judices dedit tres Galliarum Episcopos, qui una cum Melchiade Romano Pontifice illam terminarent (*e*). Rursus quum Donatistæ sententiæ Melchia-

(*a*) Cap. 7. eod. in 6.
(*b*) Cap. 5. eod. in 6.
(*c*) Conf. Wiesner. tit. de Offic. & potest. judic. deleg.
(*d*) Sarpus Hist. Concil. Trid. lib. 2. n. 62.
(*e*) Ap. Euseb. lib. 10. cap. 5.

chiadis non acquiescerent, quasi judicium indicta causa & clanculum latum esset, & Imperatoris judicium postularent, Constantinus novum judicium episcopale concessit, indixitque Arelatense Concilium (*a*). Et Marcianus causam Bassiani, qui de Sede Ephesina depulsus erat, Synodo Chalcedonensi demandavit, quam delegationem ipse Bassianus libello à Principe exoraverat (*b*). Delegabant autem Imperatores judicia ecclesiastica non tantum iis Episcopis, qui ordinario jure intra provinciam suam cognoscere poterant, sed etiam extra provinciarum fines alienis Episcopis jurisdictionem prorogabant: & hinc si quis Episcoporum de metropolitani aut Patriarchæ suspicione quæreretur, litteris suis judicium ab ea sede avocabant, & in aliam provinciam transferebant (*c*). Quod vero damnati Clerici delegationibus causarum à Principe impetratis ad effugiendas pœnas abuti possent, Arcadius & Honorius edixerunt, ne Episcopi rescripta impetrent, quæ nulla esse ipsi Imperatores pronunciant, si damnatio ob justam causam facta sit. *Sit hujusmodi personis tenore præsentis legis illicitum, sacra nostra adire secreta, & impetrare rescripta. Omnia dejectis per culpam sacerdotio personis, quæ impetrata sunt, infecta permaneant* (*d*).

Quæ delegatio etiam ab Ecclesia probata.

§. XVII. Sacris rescriptis dum ecclesiasticas causas Imperatores delegabant, nihil faciebant sacerdotii juribus, aut receptæ disciplinæ adversum. Equidem eam auctoritatem aperte Principibus asseruit Concilium Milevitanum II., quod Gratianus suæ concordiæ inseruit (*e*). *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur; si autem episcopale judicium ab Imperatore petierit, nihil ei obsit.* Tantum damnant Patres Africani Clericos, qui in causis suis publica judicia ab Imperatoribus postulabant, non item si episcopale judicium peterent: manifesto argumento disciplinæ ejus ætatis adversum non fuisse, si Principes in causis ecclesiasticis Clericos judices delegarent. Porro tempore Augustini Donatistæ sententiam Melchiadis refellere solebant, quod ab Episcopis transmarinis lata esset, quibus ex Africanæ Ecclesiæ privilegio judicia Africanarum causarum etiam ex appellatione usurpare non licebat. Excipit Augustinus, Melchiadem debuisse judicium illud usurpare, quod ab Afris septuaginta erat terminatum, additque non usurpasse, quando ex Principis delegatione cognitionem susceperat, quod probat, jure Principes causas ecclesiasticas etiam extra provinciam delegare potuisse. *Quid, quod*

(*a*) August ep. LXVIII.
(*b*) Conc. Chalced. act. XI.
(*c*) Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 4. cap. 3. n. 3. & seq.
(*d*) L. 2. in Append. C. Theodos.
(*e*) Can. XI. c. 11. q. 1.

quod nec ipse usurpavit? sunt verba Augustini (*a*). *Rogatus quippe Imperator judices misit Episcopos, qui cum eo viderent, & de tota illa causa, quod justum videretur, statuerent.*

Qui exortæ Principum in causis ecclesiasticis delegationes.

§. XVIII. At interim sacris Canonibus, immo evangelio ipso, vetitum erat, laicos etsi dignitate eminentissimos in causis ecclesiasticis judices sedere, aut in iis aliquid directe statuere. Ipsi Constantino M. apertissime notum fecit Cordubensis Episcopus Osius, nefarium omnino esse, si Principes spiritualia negotia sibi vindicarent. Qua ratione doctus Tomassinus docet, christianos Principes non jure, sed potius facto & quadam œconomia in causis ecclesiasticis judices dedisse, idque primo ad perduelles quomodocumque revocandos indultum, in Ecclesiam probasse, aut tolerasse (*b*). Ego vero contra crediderim, hoc jus Principum antiquæ disciplinæ regulis convenire, & inde originem habuisse suam. Nimirum vetus disciplina non patiebatur, causas in Synodis provincialibus definitas iterum per appellationes tractari in Conciliis majoribus, nisi Principes Concilia ipsa concederent & indicerent (*c*). Concilia enim extraordinaria, qualia erant œcumenica & diœcesana, seu ex pluribus provinciis coacta, non statis temporibus habebantur, sed quando Principes illa cogi permittebant. Hinc videtur profluxisse jus illud Principum, ut causas ecclesiasticas judicibus ecclesiasticis delegarent, Synodis nempe, quas una opera concedebant: quod jus semel inductum pro rerum humanarum conditione novis accessionibus crevit.

CAPUT XVIII.

De arbitris.

Arbitri qui, & quot eorum species.

§. I. Non solum per judices, sed etiam per arbitros lites finiri consueverunt. Arbiter in libris juris civilis sæpe est judex à prætore datus, quandoque ab judice distinguitur (*d*). Nimirum à prætore dati judices pro diversa judiciorum ratione modo *arbitri*, modo *judices* dicuntur. Qui in judiciis bonæ fidei aut arbitrariis dabantur *arbitri*, qui vero in stricti juris judiciis proprie *judices* dicebantur. Et arbitri quidem ex bono & æquo arbitrabantur, judices vero formulæ erant addicti, nec poterant vel hi-

(*a*) August. ep. CLXII.
(*b*) Tomass. diss. XII. in Concilia n. 54.
(*c*) Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. 7. cap. 2.
(*d*) Conf. Briss. de V. S. v. *Arbiter*.

hilum ab ea discedere (*a*). Item jure civili arbitri etiam dicuntur, qui à contrahentibus ad definiendum pretium in emptione venditione aut alias conditiones in contractibus definiendas assumuntur (*b*). Verum in præsenti arbitrorum nomine veniunt judices extraordinarii ad finiendas decidendasque lites litigantium voluntate electi, sive electio ista ex libera partium voluntate, sive ex juris dispositione fiat. Hinc arbitrorum alii sunt voluntarii, alii necessarii, seu juris, quorum illi ex libera partium voluntate nullo cogente eliguntur; isti sumuntur quidem ab ipsis partibus, sed legis jussu præcedente.

Compromissum quomodo fiat.

§. II. Arbitri sic dicti voluntarii ad lites cito finiendas partium compromisso sumuntur, & hinc *compromissarii* dicti sunt (*c*). Compromissum est conventio, qua uterque litigantium promittit, se stare sententiæ, quam electus arbiter dixerit. Promissio ista etiam jure civili & stipulatione & nudo pacto fieri consuevit (*d*). Additur etiam jure civili pro partium arbitrio pœna, qua compromittentes fidem suam vinculo firmiori adstringunt; quando enim ex compromisso actio rei judicatæ non nascitur, licuit, metu pœnæ firmitatem arbitriis conciliare (*e*), jure quoque Romano jurisjurandi religione compromissa puniebantur, tum id fieri Justinianus interdixit, ne homines qui stare arbitrio sua interesse non putarent, pejerare cogerentur (*f*). Jure decretalium pœna compromisso etiam addi potest, non tamen necessario (*g*), nam illud utroque jure ex consensu partium vires sumit. Porro eodem decretalium jure posthabita Justiniani constitutione jusjurandum in compromissis admittitur, iisque major vis conciliatur (*h*) : quo ipso jurandi extra judicium usus contra veterum simplicitatem excrevit. Mediis sæculis obsides etiam accedebant compromissis (*i*), qua ratione non temere à promissis discedere licebat.

Qui possunt compromittere.

§. III. Compromittere possunt in arbitro quicunque rerum suarum liberam habent administrationem, non vero qui domini non sunt, aut si quidem sint, non tamen libere administrant. Quapropter vetantur compromittere pupilli & minores (*k*), item procuratores

(*a*) Tull. orat. pro Q. Roscio cap. 4.
(*b*) L. 7. D. de Contrah. emption.
(*c*) L. 4. de Tutorib.
(*d*) L. 11. §. 3. D. de Recept. qui arbitr., l. penult. C. de Recept. arbitr.
(*e*) L. 2. & l. 27. §. 7. D. eod.
(*f*) Novell. LXXII. cap. 11.
(*g*) Cap. 9. ext. de Arbitr.
(*h*) Cap. 2. & 9. ext eod.
(*i*) Cap. 11. ext. eod.
(*k*) Cap. 35. D. de Recept.

res in causa ipsis commissa, nisi speciale mandatum habeant, alioquin arbitri sententia non quidem principalem, sed procuratorem stringit, & quidem ad pœnam, si hæc adjecta sit, alias ad id quod interest (*a*). Prælati quoque & Episcopi nequeunt compromittere sine capituli consensu, qui toties necessarius est, quoties de ardua causa Ecclesiæ cathedralis agitur (*b*). Item electi arbitri alios substituere vetantur, nisi facultas ista iis concessa fuerit (*c*); arbitri enim electione industria hominis electa censetur.

Qui possunt in arbitros eligi.

§. IV. Omnes, qui judices esse non prohibentur, ferme in arbitros partium compromisso eligi possunt, nisi quod jure civili etiam libertinus & infamis in arbitros eligi possint (*d*), & filius in causa patris (*e*). Possunt etiam jure Romano ordinarii magistratus in arbitros eligi, non vero pedanei judices in causis, de quibus judices dati erant; hi enim addicti erant formulæ, & necessario judicabant; tum vero recipere poterant arbitrium, si commissæ notioni ex voluntate magistratus renuntiabant (*f*). Sed desuetis jam judicibus pedaneis, jure decretalium non minus in judices ordinarios, quam in delegatos licet compromittere (*g*). Vetantur quoque jure civili esse arbitri servi, pupilli, minores, item mulieres (*h*), quæ à publicis officiis removentur, si vel maxime summæ opinionis existant; nihilominus mulieres jure decretalium arbitrium recipere possunt, si ordinaria jurisdictione augeantur (*i*). Laici quoque in causis ecclesiasticis & spiritualibus vetantur in arbitros eligi, *quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur* (*k*). Et si apud Innocentium III. in rebus ecclesiasticis *vicedominus* arbiter constitutus invenitur (*l*), *vicedominus* iste Clericus erat, qui tractandis rebus ecclesiasticis vice Episcopi præsidebat, quod Cujacius observat (*m*). Sed non videtur denegatum, ut cum Clericis etiam laicus arbiter in rebus ecclesiasticis constituatur, si Sedis Apostolicæ aut ejus legati auctoritas interveniat (*n*).

Pluribus electis arbitris arbitrium quomodo expeditur.

§. V. Compromitti potest tam in unum, quam in plures, & si in

(*a*) Cap. 9. ext. eod.
(*b*) Cap. 1. ext. De his quæ fiunt à Præl. sine cons. capit..
(*c*) Cap. 13. ext. de Arbitr.
(*d*) L. 7. D. de Recept. qui arbitr.
(*e*) L. 6 D. eod
(*f*) Conf. Boehm. Jur. eccles. lib. 1. tit. 43. §. 4.
(*g*) Cap. 5. 7. 10 & 13. ext. de Arbitr.
(*h*) Conf. Huber. Præl. part. 2. lib. 4. tit. 8. n. 3.
(*i*) Cap. 4. ext. de Arbitr.
(*k*) Cap. 8. ext. eod.
(*l*) Cap. 7. ext. de Confirm. utili.
(*m*) Cujac. in cap. 15. ext. de Judic.
(*n*) Cap. 9. ext. de Arbitr.

in plures, consultius est, ut in impares numero compromittatur, ut si dissentiant, plurimum sententia litem finiat. Si in plures compromissum sit non adjecta clausula, ut si unus absit, reliqui procedant, omnes conjunctim judicare debent, nullumque est latum arbitrium, si unus, etiam legitimo impedimento detentus absit, licet præsentes omnes consentiant; stricte enim adhærendum est compromisso, & præterea absens omnes alios in suam sententiam poterat adducere (*a*). Est hæc civilis jurisprudentia, & quidem satis proba: at nihilosecius ab ea Bonifacius VIII. recessit, qui statuit, posse præsentes arbitros in causa procedere, si unus ex tribus citatus, nec impeditus adesse nolit, idque ut quæstionibus seu controversiis celerius finis imponatur (*b*): qua tamen ratione postha-bita in judicibus delegatis ratum fixumque esse voluit, ut si eorum unus absit, reliqui non procedant. Quod si duo arbitri sumti sint, & in judicando inter se dissentiant, an alium arbitrum eligere possunt, cujus sententiæ pareatur? Jure civili tantum id licuisse videtur, si in ipso compromisso tertius nominatus sit, qui in casu dissensus in arbitrum sumi debeat; nam eo non nominato compromissum nullum censetur, quia possent arbitri in eligendo dissentire (*c*). Sed moribus præsentibus semper licet arbitris, quo casu in judicando non conveniant, alium arbitrum sumere, etsi novus arbiter nominatus non fuerit.

Quæ causæ arbitros non admittunt.

§. VI. Tantum vero in causis, quæ privati arbitrii sunt, quæque privata notione componi possunt, non generatim in omnibus causis licet arbitros assumere: quæ enim tantum à jurisdictione dependent, aut jus publicum spectant, non admittunt arbitri notionem. Ita nullum est compromissum in causis restitutionis in integrum, quæ jurisdictionem, qua arbitri destituuntur, requirunt (*d*). Item arbitri notio ad causas matrimoniales non extenditur (*e*); nec enim pro arbitrio suo licet compromittentibus de matrimonio abire, & præterea istiusmodi causæ certis judicibus addictæ sunt. Diversa vero ratio est sponsaliorum sic proprie dictorum, quæ mutuo dissensu dissolvi queunt (*f*), atque adeo arbitris recte committuntur. Nec arbitri notionem admittunt causæ status (*g*), videlicet ingenuitatis, libertatis, natalium, quæ majores judices requirunt. Præterea nullum est in causis criminalibus & famosis compromissum

(*a*) L. 17. §. 7. de Recep. qui arbitr.
(*b*) Cap. 2. de Arbitr. in 6.
(*c*) Cit. L. 17. §. 5. & 6. Conf. Boehm. Jur. eccles. lib. 1. tit. 43. §. 6.
(*d*) L. ult. C. Ubi & apud quem cognitio in integr. restit. agitanda sit, cap. 9. ext. de Integr. restit.
(*e*) Cit. cap. 9.
(*f*) Cap. 2. ext. de Sponsalib.
(*g*) L. 32. §. 7. D. de Recept. qui arbitr., cit. cap. 9.

sum (*a*); imperii nimirum est pœnas irrogare, nec in deliquentium potestate esse debet excutere magistratuum imperium, & se subjicere arbitrorum notioni. Excluditur vero in criminibus compromissum si ad publicam vindictam agatur; nam ubi civiliter agitur ad pœnam parti læsæ applicandam, licet arbitris cognoscere: nec tum, quamvis crimen sit famosum, arbitri sententia irrogatur infamia (*b*). Nec valet compromissum de statu Ecclesiæ, veluti de exemptione, quia de jure alieno, Pontificis nempe, agitur (*c*).

Arbiter sponte receptum arbitrium cogitur implere.

§. VII. Compromissu electus arbiter nonnisi volens recipit arbitrium, est enim hæc res libera & soluta & extra necessitatem jurisdictionis posita (*d*). Recipere promittere est, & in hac causa proprie ad arbitrum, qui suscipit arbitrium, refertur, non ad litigatores, qui arbitrum non recipiunt, sed eligunt, sumunt, capiunt. Hinc recte Gerardus Noodt (*e*) observat, in titulo DD. vulgatæ editionis *de receptis arbitris* potius legendum *de receptis arbitriis*. Videtur vero arbiter arbitrium recepisse qui judicis partes suscepit, finemque sua sententia controversiis impositurum pollicetur: nam qui hactenus se negotio immiscuit, ut partes arbitrio suo componat, arbitrium non recepit (*f*). Semel vero receptum arbitrium necessario implendum est; & si arbiter implere detrectet, prætoris jurisdictione compellitur (*g*); nec enim justum est, eum, qui litis intima cognovit, & utriusque partis secreta comperta habet, arbitrium deserere & ob gratiam aut sordes nolle sententiam dicere. Magistratus non tantum cognoscit judicatque, sed etiam judicare jubet. Tum vero ad judicandum arbiter compellitur, si nulla arbitrii detractandi causa subsit; nam cessat coactio si compromissum nullum aut incertum sit; item si justam excusationis causam arbiter habeat, veluti si litigantes eum infamaverint, si spreta ejus auctoritate ad alium arbitrum aut judicem ierint, & deinde ad eundem redire velint, quæ aliæque non implendi arbitrii causæ legibus consignatæ sunt (*h*). Quod si locus sit coactioni, & plures sint arbitri, omnes coguntur, quia in omnes compromissum est (*i*).

Ar-

(*a*) Cit. l. 32. §. 6., cit. cap. 9.
(*b*) L. 13. §. 5. D. de His qui notantur infam.
(*c*) Cap. 5. ext. de Arbitr.
(*d*) L. 3. §. 1. D. de Recept. qui arbitr.
(*e*) Gerard. Noodt. comm. ad cit. tit. DD.
(*f*) L. 13. §. 2. D. eod.
(*g*) Cit. l. 3. §. ult., l. 32. §. 12. D. eod.
(*h*) Conf. Huber. Prælect. part. 2. lib. 4. tit. 8. n. 5.
(*i*) L. 17. §. 2. D. de Recept. qui arbitr.

Arbitri compromissarii jurisdictionem non habent.

§. VIII. Arbitri quocumque modo partium compromisso sumti nullam sic proprie dictam habent jurisdictionem: privatorum scilicet voluntate, quæ judicem non facit, capiuntur. Hinc proprie judices non sunt, sed partes judicis suscipiunt (*a*), & dicuntur *judices compromissarii* (*b*), ut intelligatur, eos non vi jurisdictionis, sed voluntate partium de lite cognoscere: itemque ab arbitris dicta sententia proprie sententia non est; proprie vero vocatur *arbitrium* (*c*), (quamvis alias *arbitrium* & causæ cognitionem & ipsam arbitrorum sententiam denotet, quo spectant *arbitraria recepta*) & præsenti usu fori *laudum* audit, idque à *laudare*, quod sequiore latinitatis ævo erat judicare (*d*). Nec arbitrium habet rei judicatæ auctoritatem (*e*), nec inde datur actio judicati, nec irrogatur infamia (*f*). Cæterum etsi arbitri jurisdictione destituantur; tamen arbitria solemni judiciorum more instituuntur: idque est quod ait jurisconsultus, compromissa ad instar judiciorum esse redacta (*g*): quamvis non omnia, quæ in judiciis usurpantur, apud arbitros locum habeant, qua de re interpretes consulendi (*b*).

Notio arbitri ex compromisso pendet.

§. IX. Quæ quum ita sint, arbitri puram notionem habent, qua de causa cognoscunt & arbitrantur; notio vero ista & potestas ex compromisso pendet, nec aliud iis facere licet, quam quod ibi compromissum est, & quatenus placuit. *De officio arbitri tractantibus sciendum est*, inquit Paulus (*i*), *omnem tractatum ex ipso compromisso sumendum, nec enim aliud illi licebit, quam quod ibi, ut officere possit, cautum est.* Ergo si quæ negotia inter compromittentes postea emerserint, arbitrio non subjacent (*k*). Nec apud arbitros institui potest reconventio, quod Innocentius III. rescripsit, & quidem ea summa ratione, quod arbitris judicare non licet, nisi de causis compromisso expressis (*l*). Locum habet id jus si res omnino differant ab iis, de quibus in compromissum itum est; nam si aliquid emergat à principali negotio pendens, recte de eo arbi-

(*a*) L. 13. §. 2. D. eod.
(*b*) L. 5. §. 1. C. de Recept. arbitr.
(*c*) L. 9. Qui satisd. cogant.
(*d*) Conf. Hotoman. de Verb. feudalib.
(*e*) Paulus lib. 5. Sententiar. tit. 5. §. 1., l. 3. C. eod.
(*f*) L. 13. §. 5. D. de His qui notant. infam.
(*g*) L. 1. D. de Recept. qui arbitr.
(*b*) Conf. Gonzalez in c. 1. ext. de Arbitr.
(*i*) L. 33. §. 15. D. de Recept. qui arbitr.
(*k*) L. 46. D. eod.
(*l*) Cap. 6. ext. de Arbitr.

bitri cognoscent: quemadmodum etiam arbitria ferent de iis, sine quibus causa principalis decidi non potest, quæque ipsi causæ adeo connexa sunt, ut nisi una decidantur, causæ plenaria cognitio haberi nequeat (*a*).

Compromittentes arbitrio stare coguntur.

§. X. Quamvis vero arbitri sententia rei judicatæ auctoritatem non habeat, nec inde judicati actio detur: tamen tenentur compromittentes arbitrio stare, sive illud æquum, sive iniquum sit (*b*); sibi enim debent imputare, qui compromisserunt, danturque propterea actiones, quibus illi per indirectum sententiæ stare compelluntur. Veteri Romano jure si compromissum stipulatione initum esset & quidem adjecta pœna, actio ex stipulatu ad pœnam dabatur; pœna vero non adjecta, agebatur in incertum, idest ad id, quod intererat (*c*). Si vero arbitri nudo pacto electi essent, nec actio, nec exceptio dabatur: quamvis enim ex nudo pacto exceptio daretur, tamen exceptum est compromissum, quia absurdum videbatur, ut arbitrium in uno litigantium ratum esset, non item in alio. Tantum dabatur exceptio, si par esset utriusque litigantis conditio, veluti si ambo essent debitores, qui paciscebantur, ne peterent, quod sibi debitum contendebant (*d*); tum enim quicumque agebat, exceptio competebat. Inde Justinianus compromisso per nudum pactum inito dedit actionem in factum ad sententiæ executionem, itemque exceptionem, modo decem dierum spatio partes expresse vel tacite eam probaverint; nondum vero decem diebus exactis, licere voluit utrique impune resilire (*e*). Ita pactum nudum legitimum evasit tantum in specie, qua litigantes sententiæ consentirent. At jure canonico vi majori arbitria donantur, siquidem adjecta compromisso pœna, ejus metu partes sententiæ stare coguntur (*f*); sin minus, & actio in factum ad ejus executionem, & exceptio statim dantur (*g*), etiamsi nudo pacto compromissum sit; receptior enim sententia est, jure Decretalium ex pactis nudis actionem nasci.

Appellatio non datur ab arbitri sententia.

§. XI. Quacumque vero actione litigantes arbitrio stare coguntur, appellationis auxilio non juvantur; non enim ab arbitri compro-

(*a*) Conf. Tulden. in C. tit. de Recept. arbit.
(*b*) L. 27. §. 2. D. de Recept. qui arbitr.
(*c*) Cit. l. 27. §. 7.
(*d*) L. 11. §. 3. D. eod.
(*e*) L. 5. C. de Recept. arbitr.
(*f*) Cap. 4. & 9. ext. de Arbitr.
(*g*) Cap. 5. & 9. ext. de Arbitr.

promisso sumti sententia datur appellatio, quod non minus jure civili, quam sacris Canonibus cautum est (*a*); repugnat enim rationi, qua arbitri eliguntur, appellatio; itur nempe ad arbitros, ut lites citius & expensarum compendio finiantur; itemque sibi imputare debet, qui compromisit & velut transegit, si minus æquum arbitrium videatur (*b*). Obstare videtur Canon quidam Concilii Carthaginensis III., prout exstat apud Gratianum, ubi edicitur, ut *ex consensu partium si judices electi fuerint, liceat provocare* (*c*). At Canon iste addita negatione legendus est, *non licet provocare* quemadmodum legitur apud Dionysium Exiguum & Ivonem & in ipso Concilio Carthaginensi tam impresso, quam manuscripto cum variis exemplaribus collato, ut Romani correctores observant. Et deinde constans est Canonum Africanorum sententia, à judicibus communi consensu electis (sic in Africa dicebantur arbitri voluntarii) non dari appellationem (*d*). Cæterum usu fori passim receptum est, ut sententia judicis compromissarii, si iniqua videatur, reducatur ad arbitrium boni viri: quæ reductio parum ab appellatione distat, & ita arbitria apud judicem ordinarium deferuntur. Hinc factum, ut compromissa potius lites differant, quam citius componant, idque contra arbitrorum institutionem (*e*).

Quibus modis solvitur compromissum.

§. XII. Compromissum semel jure initum pluribus modis expirat, etiam arbitrio recepto. Et primo quidem id evenit per sententiæ prolationem, modo de omnibus ad compromissum spectantibus arbitrium dictum sit: lata enim sententia arbitri officio suo defuncti sunt, nec eam mutare possunt, etsi per errorem prolatam (*f*). Finitur quoque arbitrorum potestas mortuis compromittentibus, aut eorum uno, nec enim compromissum transit ad hæredes, nisi id specialiter caveatur (*g*): itemque mortuis arbitris, aut eorum uno (*h*), nisi placuerit, ut uno mortuo reliqui procedere valeant (*i*). Præterea solvitur arbitrium, si dies compromisso adjecta lapsa sit, nisi consensu partium prorogetur; rei item interitu, si lis transactione aliave ratione sublata sit (*k*), & si litigantes à compromisso recesserint, non modo si uterque, sed etiam si alter invito adversario, relictis arbitris, ad judicem eat; nec enim ibi conventus litis pendentis habet exceptionem, sed judicis aditione arbitrium finitur, & pœna ex compromisso peti potest (*a*).

(*a*) L. 1. C. de Recept. arbitr., Can. XXXIII. c. 2. q. 6.
(*b*) L. 27. §. 2. D. de Recept., qui arbitr.
(*c*) Can. XXXIV. eod.
(*d*) Cit. Can. XXXIII. & Can. 122. Afric.
(*e*) L. 37. D. de Recept. qui arbitr.
(*f*) L. 19. §. 1. & 2. & l. 20 D. eod.
(*g*) L. 27. §. 1. & l. 49 D eod., cap. 10. ext. de Arbitr.
(*h*) Conf. Gonzalez in c. 14. ext. eod.
(*i*) Cap. 42. ext. de Off. deleg.
(*k*) L. 32. §. 3. & 5. D. eod.

Arbitrorum juris exempla.

§. XIII. Hæc de arbitris voluntariis, dicendum deinceps de arbitris juris, qui citra compromissum à partibus eliguntur, at jussu legis, seu Canonis, qui eos assumendos jubet. Ita jure civili si delegati judices suspecti esse dicantur, eligi debent arbitri, qui de ipsa causa principe cognoscant (*b*): quemadmodum etiam eodem jure eligi debebant ad articulos incidentes definiendos, veluti ad probandos fidejussores (*c*). Jus canonicum similiter in quibusdam causis arbitros requirit, veluti in Ecclesia Africana, ubi placuit quotannis non celebrari Synodum universalem, eligi debebant arbitri, qui de appellatione à sententia Synodi provincialis cognoscerent (*d*). Et jure Decretalium si delegati judices tanquam suspecti rejiciantur, eligi debent arbitri, qui de suspicione, non de causa cognoscant (*e*), contra quam jure civili cavetur: itemque quæstio an per litteras secundas, quibus alii delegati dati sint, priores litteræ sint revocatæ, si judices inter se non conveniant, per arbitros communiter electos sopienda est (*f*). Arbitri autem isti necessarii jure civili originem suam ducunt à judicibus, qui olim in negotiis bonæ fidei dabantur, sæpe ex voluntate litigantium, quique ex bono & æquo arbitrari potius, quam judicare debebant (*g*).

Arbitri juris veri judices sunt.

§. XIV. Arbitri juris, ut pote jussu legis seu Canonis ab ipsis partibus constituti, veri judices sunt, censentur enim ab eo, qui electionem jussit, Principe nempe, vel prætore dati. Sane aperte habet Justinianus, arbitros, qui eligi debent, quo casu judices delegati tanquam suspecti rejiciantur, perinde esse, *quasi fuerint ab imperiali culmine delegati* (*h*). Hinc quo casu à Principe ipso subditi censentur, veram jurisdictionem habent; notionem vero si à magistratu dati censentur, non secus ac judices ab ipso prætore da-

(*a*) L. 30. D. eod.
(*b*) L. 16. C. de Judic.
(*c*) L. 9. D. Qui satisd. cogant.
(*d*) Can. XCVI. C. Afric.
(*e*) Cap. 39. ext. de Off. deleg.
(*f*) Cap. 14 ext. de Rescript.
(*g*) Conf. Boehm. lib. 1. Jur. ecclesiast. tit. 44. §. 1.
(*h*) L. 16. C. de Judiciis.

dati. Cujusve vero generis sunt, eorum sententia auctoritatem rei judicatæ habet, & inde recte appellatur. *Arbitro ad fidejussores probandos constituto*, auctoritatę nempe magistratus, inquit Gajus (*a*), *perinde ab eo, atque ab judicibus, appellare licet.* Eadem est decretalium sententia, habent enim electis arbitris; qui cognoscant de suspicione judicum delegatorum, aut de revocatione litterarum apostolicarum ad Sedem apostolicam appellandum (*b*), quod scilicet ejusmodi arbitri auctoritate illius sedis subditi censentur. Cur vero arbitri dicuntur, non judices? quia scilicet communi consensu partium eliguntur, ideo arbitri nomen datur, quum tamen veri judices sint, ut arbiter pro socio, tutelæ (*c*).

Explicatur disciplina Ecclesiæ Africanæ de judicibus electis.

§. XV. In veteri disciplina arbitri juris præsertim in usu erant in Ecclesiis Africanis, ubi *judices electi* dicebantur. Sed illud negotium facessit, quod Synodus Carthaginensis anno cccccvii. habita appellari non permittit à judicibus, qui eligi præcipiuntur ad cognoscendam à decretis Synodi provincialis appellationem, *ut ab ipsis nulli deinceps liceat procurare* (*d*), quod receptis regulis & ipsi naturali æquitati adversari videtur. Nodus iste ex peculiaribus Africanæ disciplinæ regulis recte enodatur, & minor profecto, neminem, quod sciam, veram Patrum Carthaginensium sententiam fuisse adsecutum. Placuerat huic ipsi Carthaginensi Concilio, ut Synodus plenaria totius Africæ quotannis de more non haberetur, sed quoties causa communis exigeret (*e*). Hinc ne auxilio appellationis carerent, qui in Synodis provincialibus damnabantur, placuit quidem ab earum decretis appellari, sed simul eligi judices, qui de appellatione cognoscerent, ulterius vero non dari appellationem. Et recte quidem, nam Synodus plenaria non habebatur, nisi in causis communibus, & transmarina judicia Afri omnino repudiabant. Ita Patres Africani à judicibus, qui eligebantur ad cognoscendam appellationem à decretis, quæ à Synodo provinciæ interponuntur, appellari non permittunt, quod aliud supremum non erat auditorium: & reapse ubi judices eligebantur contra Episcopi sententiam, Africani Patres ad Africana Concilia, vel ad primates provinciarum concedunt appellationem (*f*). Hæc est genuina Patrum Carthaginensium sententia, errantque profecto non minus Gratianus (*g*), quam Zo-

(*a*) L. 9. D. Qui satisdare cogantur, l. 23. D. de Appellat.
(*b*) Cap. 11. de Off. deleg in 6.
(*c*) Conf. Cujac. in l. 16. C. de Judic.
(*d*) Can. XCV. & XCVI C. Afr.
(*e*) Cit. Can. XCV.
(*f*) Can. CXXV C. Afr.
(*g*) Grat. ad Can. XXXIX. c. 2. q. 6.

Zonaras & Aristenus (*a*), quorum ille Canonem, qui à judicibus electis vetat appellationem, accipit ex sententia juris civilis quasi ab uno eodemque litigantium tertio provocari prohibeat; hi vero interpretantur de arbitris voluntariis, à quorum arbitrio ex juris civilis & Canonum sententia non datur appellatio. Sane Canon Carthaginensis secundam, non tertiam appellationem rejicit; & deinde non de arbitris compromisso sumtis, sed de judicibus jussu Canonis ab utraque parte eligendis conceptus est.

(*a*) Zonar. & Aristen. com. in Can. Concilii Carthag. Can. XCIX. ap. Bevereg. tom. 1. Pand. canon.

FINIS TOMI QUINTI.